1825

John Walter Moo.

1832

POEMATA

LATINE PARTIM REDDITA,

PARTIM SCRIPTA:

A

V. BOURNE,

COLLEGII TRINITATIS APUD CANTABRIGIENSES
ALIQUANDO SOCIO.

EDITIO OCTAVA.

OXONII:

TYPIS ET IMPENSIS SLATTER ET MUNDAY.
VENEUNT APUD LONGMAN, HURST,
REES, ET ORME, ET. W. H. LUNN,
LONDINI.

1808.

CORRIGENDA.

P. 133, l. 7, pro Astrea—lege Astræa.
P. 194, l. 2, pro quescat—lege quiescat.
P. 199, l. 12, pro florenat—lege floreant.
P. 277, l. 16, pro roâgrim—lege rogârim.

HYMNI.

HYMN THE FIRST.

WHEN all thy mercies, O my God,
  My rising soul surveys,
Transported with the view I'm lost
  In wonder, love, and praise.

O how shall words with equal warmth,
  The gratitude declare,
That glows within my ravish'd breast!
  But thou canst read it there.

Thy providence my life sustain'd,
  And all my wants redrest;
When in the silent womb I lay,
  And hung upon the breast.

To all my weak complaints and cries
  Thy mercy lent an ear;
E're yet my feeble thoughts had learnt
  To form themselves in prayer.

HYMNUS PRIMUS.

CUM misericordias recolligo, tua
Paterna quas, Jehova, cura contulit,
Suspensa cogitando, mens hæret mea,
Amorne major siet an admiratio.

Quæ verba, quæ pietatis eloquentia
Ardore eodem gratias effabitur,
Quo pectus intus concipit! sed gaudium,
Quod fervet intus, tu legis, tu intelligis.

Tua cura, præsens semper et semper vigil,
Me conditum uteri vidit in silentio,
Eademque cura me secuta est provida,
Cum matris ad mammam pependi infantulus.

Quos edidit questus meæ imbecillitas
Infantiæ, tua auris accepit statim;
Cum mens tenella, cogitare nec potis,
Colligere nondum noverat sese in preces:

Unnumber'd comforts to my soul
  Thy tender care bestow'd;
Before my infant heart conceiv'd
  From whom those comforts flow'd.

When in the slippery paths of youth
  With heedless steps I ran;
Thine arm unseen convey'd me safe,
  And led me up to man.

Through hidden dangers, toils and deaths,
  It gently clear'd my way;
And through the pleasing snares of vice,
  More to be fear'd than they.

When worn with sickness, oft hast thou
  With health renew'd my face;
And when in sins and sorrows sunk,
  Reviv'd my soul with grace.

Thy bounteous hand with worldly bliss
  Has made my cup run o'er;
And in a kind and faithful friend
  Has doubled all my store.

Ten thousand thousand precious gifts
  My daily thanks employ;
Nor is the least a chearful heart,
  That tastes those gifts with joy.

Quæ nullus æquat computus, solamina
Tua administravit mihi indulgentia;
Infantulum cor antequam resciverat,
A fonte quo profluxerint tot munera.

Cum per juventæ lubricas decurrerem,
Incogitans, animique præceps, semitas,
Tua alma sospitavit occulte manus,
Ævumque me provexit ad maturius.

Per multa mortis abditæ discrimina
Aperta eunti et tuta porrecta est via,
Vitiique blandimenta per fallacia,
Periculum præ cæteris ferentia.

Cum morbi acutiore vi tabescerem,
Me sanitate recreâsti sæpius,
Et cum gravarer crimine et doloribus,
Tua revocavit in salutem gratia.

Tuæ, Jehova, largitati debeo,
Quod sat superque me beârit copia,
Eamque amicus copiam consortio
Dulci quod unus et quod alter auxerit.

Pretiosa mille dona de die in diem,
Et mille millies reposcunt gratias,
Et inter illa dona cor lætabile,
Oblata quod pio accipit cum gaudio.

Through every period of my life
  Thy goodness I'll pursue;
And after death, in distant worlds,
  The glorious theme renew.

When nature fails, and day and night
  Divide thy works no more;
My ever grateful heart, O Lord,
  Thy mercy shall adore.

Through all eternity to thee
  A joyful song I'll raise!
But oh! eternity's too short
  To utter all thy praise.

ADDISON.

Vitæ per omne stadium, adultus et senex,
Benignitatem prædicando prosequar;
Amabilemque, hoc corpus exutus, thesin
Redintegrabo sæculorum in sæcula.

Natura cum cesset, nec amplius dies
Noctesque per vices opera monstrent tua,
Memor usque cor, quæ gratiose feceris,
Fideliter revolvet et venerabitur.

Millena millies per æva canticum
Movebo tibi, Jehova, gratitudinis;
Sed, O! nimis, nimis est brevis, nec laudibus
Vel tota sufficit tuis æternitas.

HYMN THE SECOND.

HOW are thy servants blest, O Lord!
  How sure is their defence!
Eternal wisdom is their guide,
  Their help Omnipotence.

In foreign realms and lands remote,
  Supported by thy care;
Through burning climes I pass'd unhurt,
  And breath'd in tainted air.

Thy mercy sweeten'd every soil,
  Made every region please,
The hoary Alpine hills it warm'd
  And smooth'd the Tyrrhene seas.

Think, O my soul, devoutly think,
  How with affrighted eyes
Thou saw'st the wide-extended deep
  In all its horrors rise!

HYMNUS SECUNDUS.

QUAM sunt beati, qui, Jehova, te colunt!
Quam certa tute es te verentibus salus!
Æterna mens eos regit, dux et comes,
Et major omnibus potestas adjuvat.

In exteris regnis, locisque dissitis,
Vigilantia securus et salvus tua,
Cœli per ardentis peragrabam plagas,
Et insalubrem sanus hauriebam aëra.

Tuus per omne vultus affulsit solum,
Solumque fecit omne mihi ut arriserit;
Calore temperavit Alpium nives,
Tuscique complanavit undas æquoris.

Recogita mecum, anima mea, recogita,
Horrore quo perculsa, ponti videris
Imo ex sinu profunditates erutas,
Montesque fluctuum imminentes montibus!

Confusion dwelt in every face,
  And fear in every heart,
When waves on waves, and gulphs in gulphs,
  O'ercame the pilot's art.

Yet then from all my griefs, O Lord,
  Thy mercy set me free;
While in the confidence of prayer
  My soul took hold on thee.

For though in dreadful whirls we hung,
  High on the broken wave;
I knew thou wert not slow to hear,
  Nor impotent to save.

The storm was laid, the winds retir'd,
  Obedient to thy will;
The sea, that roar'd at thy command,
  At thy command was still.

In midst of dangers, fears and deaths,
  Thy goodness I'll adore;
And praise thee for thy mercies past,
  And humbly hope for more.

My life, if thou preserv'st my life,
  Thy sacrifice shall be;
And death, if death must be my doom,
  Shall join my soul to Thee.

ADDISON.

In ore quovis pallidus sedit stupor,
In corde quovis consilî impotens metus,
Cum devolutus gurges intra gurgitem
Victam gubernatoris artem luserit.

Sed salvum et illæsum inter hæc pericula
Paterna tua me reddidit clementia,
Dum se recepit anima numen ad tuum,
Confisa humillimæ precum violentiæ.

Prærupto aquarum in monte cum pependimus,
Cavasque valles ardui despeximus,
Servare novi te potentem maxime,
Nec supplices audire præsentem minus.

Procella siluit, dicto obediens tuo
Ventus recessit, reddita est tranquillitas;
Et æquor, imperante te, quod sæviit,
Idem illud, imperante te, desæviit.

In mille versantem asperis laboribus
Me protinus juvabit et solabitur
Suavis recensio tot ante-munerum,
Humilisque plurium et pia expectatio.

Mea vita, vitam si meam dignaberis
Servare, tibi, Jehova, consecrabitur;
Et mors, futura siquidem est mors portio,
Animam meam tibi soli adunatam dabit.

HYMN THE THIRD.

WHEN rising from the bed of death,
  O'erwhelm'd with guilt and fear,
I see my Maker face to face,
  Oh! how shall I appear!

If yet, while pardon may be found,
  And mercy may be sought,
My heart with inward horror shrinks,
  And trembles at the thought.

When thou, O Lord, shalt stand disclos'd
  In majesty severe,
And sit in judgment on my soul,
  O! how shall I appear!

But thou hast told the troubled soul,
  Who does her sins lament,
The timely tribute of her tears
  Shall endless woe prevent.

HYMNUS TERTIUS.

MORTIS resuscitatus a cubilibus,
Noxa obvolutus totus et metu obrutus,
Coram ubi creatori meo obvius dabor,
Quis O ! videbor ! quo pudore contegar !

Siquis remissioni adhuc restat locus,
Nec sera, nimium sera, pœnitentia est ;
Labascit horrore anima, et in sese fugit,
Et cogitando prægravata contremit.

Cum te, Jehova, vesties terroribus,
Et, pro tribunali sedens, scrutaberis
Omiserit quæ quisque, quæ commiserit,
Quis O ! videbor ! quo pudore contegar !

Menti sed ægræ, criminum quam pœnitet,
Hujusce tu promissor es solatii,
Quod lacrymarum lenius piaculum
Pœnarum acerbiora deprecabitur.

Then see the sorrows of my heart,
  Ere yet it be too late,
And hear my Saviour's dying groans,
  To give those sorrows weight.

For never shall my soul despair
  Her pardon to procure;
Who knows Thy Only Son has dy'd,
  To make that pardon sure.

ADDISON.

AN ODE

TAKEN FROM THE BEGINNING OF

PSALM XIX.

THE spacious firmament on high,
With all the blue ethereal sky,
The spangled heavens, a shining frame,
Their great original proclaim.
The unwearied sun, from day to day,
Does his Creator's power display;
And publishes, to every land,
The work of an Almighty hand.

Si gratiæ nondum ostium præcluditur,
Perpende, numen, quo dolore distrahor;
Et, quæ dolori pondus addant, respice
Quæ passus est pro me redemptor vulnera.

Ille, Ille spes est solus et fiducia,
Nec ulla desperabitur remissio,
Quam filius dedit tuus salutifer,
Et proprio obsignavit emptam sanguine.

ODE

EX INITIO

PSALMI XIX. DESUMPTA.

EXPANSA cœlorum, profunda cærula,
Et arcuati qua patet spatium ætheris,
Convexa stellis plena, splendens fabrica,
Sui decoris indicant originem.
Lætus diurnum Sol iter decurrere,
Quis ille fons declarat et lucis parens,
Et cuique terræ, quam revisit, nunciat
Quam sancta ac potensque formârit manus.

Soon as the evening shades prevail,
The moon takes up the wond'rous tale;
And nightly, to the listening earth,
Repeats the story of her birth:
Whilst all the stars that round her burn,
And all the planets, in their turn,
Confirm the tidings, as they roll,
And spread the truth from pole to pole.

What though, in solemn silence, all
Move round this dark terrestrial ball;
What though nor real voice nor sound
Amidst their radiant orbs be found:
In reason's ear they all rejoice,
And utter forth a glorious voice;
For ever singing as they shine,
"The hand that made us is divine."

ADDISON.

Absente sole, cum statim vesper suas
Reducit umbras, luna carmen excipit,
Et singulis, ut eunt renarrat noctibus,
Sui quis ille magnus author luminis.
Quod et planetæ per vices, quod ignium
Pro se minorum totus affirmat chorus,
Et dum movetur quisque certis legibus,
Utrumque veritate pervadit polum.

Solenniore quamlibet silentio
Circum hunc opacum orbem feruntur omnia,
Nec ulla clare vox ab extra nec sonus
Tot lucidos auditur inter ordines;
Auditur intus, quam canoris vocibus,
Quibusque cœlum ferveat concentibus,
Ut hunc in hymnum concinat frequentia,
" Divinus est, qui nos creavit, artifex."

COLIN's COMPLAINT.

DESPAIRING beside a clear stream,
  A shepherd forsaken was laid;
And while a false nymph was his theme,
  A willow supported his head.
The winds, that blew over the plain,
  To his sighs with a sigh did reply;
And the brook, in return to his pain,
  Ran mournfully murmuring by.

Alas! silly swain that I was!
  Thus sadly complaining, he cried;
When first I beheld that fair face,
  'Twere better by far I had died:
She talk'd, and I blest the dear tongue;
  When she smil'd, 'twas a pleasure too great:
I listen'd, and cry'd, when she sung,
  Was nightingale ever so sweet!

How foolish was I to believe,
  She could doat on so lowly a clown?
Or that her fond heart would not grieve,
  To forsake the fine folk of the town?

A

CORYDON QUERENS.

DECEPTOS pastor secum meditatus amores
  Ad ripam jacuit prætereuntis aquæ;
Dumque recensebat falsæ perjuria nymphæ,
  Lassatum salices sustinuere caput.
Audierat zephyri vocem gemitusque dolentis,
  Et mœstis venti congemuere sonis:
Audierat rivus; resonumque ad murmura murmur,
  Et questum ad questus ingeminavit aqua.

Ah miserum Corydonem! et durum ante omnia fatum!
  Tristibus his lacrymans ingemit ille modis;
Adspexi vultum, lethoque (heu sidera iniqua!)
  Ex illo intuitu quot graviora tuli!
Nusquam tutus eram; Daphnæ mihi dulcis imago
  Ridentis, dulcis sermo loquentis erat:
Seu caneret, blando captus modulamine, quando
  Tam suave, exclamo, tu, Philomela, canes!

Sæpe quidem dixi, Miserebitur illa; sed unde
  Tam nostræ fieret rusticitatis amans?
Unde urbis splendorem ea sciret, opesque superbas
  Sordibus exiguæ posthabuisse casæ?

To think, that a beauty so gay,
So kind and so constant would prove;
Or go clad like our maidens in grey,
Or live in a cottage on love?

What though I have skill to complain?
Though the muses my temples have crown'd?
What though, when they hear my soft strain?
The virgins sit weeping around!
Ah, Colin! thy hopes are in vain,
Thy pipe and thy laurel resign;
Thy false one inclines to a swain,
Whose music is sweeter than thine.

And you, my companions so dear,
Who sorrow to see me betray'd,
Whatever I suffer, forbear,
Forbear to accuse the false maid.
Though through the wide world I shou'd range,
'Tis in vain from my fortune to fly:
'Twas her's to be false and to change;
'Tis mine to be constant and die.

If, while my hard fate I sustain,
In her breast any pity is found,
Let her come with the nymphs of the plain,
And see me laid low in the ground.
The last humble boon that I crave,
Is to shade me with cypress and yew;
And when she looks down in my grave,
Let her own that her shepherd was true.

Credebam tamen ignarus; rebarque quod esset
  Inter divitias invenienda fides:
Quod crassæ possent vestes, victusque placere
  Rusticus, atque humili sub lare castus amor.

Quid mihi, Apollinea cingar quod tempora lauro,
  Et querulæ nôrim tangere fila lyræ?
Quid prodest, molles numeros siquando movebam,
  Virgineæ circum quod maduere genæ?
Ah, nihil est, Corydon, Phœbi cur munera jactes!
  Nec lyra jam decori, nec tibi laurus erit.
Est novus, est Daphnæ felicior ignis; et illi
  Dulcior est calamus, callidiorque manus.

Vos tamen hinc, comitum pars O charissima, amici,
  Queis mecum luctus sunt, sociusque dolor,
Parcite vos, quicquid dederint mihi fata ferendum,
  Parcite vos Daphnen insimulare doli.
Si toto vagus orbe feror, comitatur euntem
  Me mea sors, nulla dissocianda fuga:
Quamvis inteream, Daphne mutabitur usque;
  Intercam quamvis, usque fidelis ero.

Siquid adhuc poterunt mollescere corda, nec omnis
  Ex inclementi pectore fugit amor;
Agrestes inter decoret mea funera nymphas,
  Membraque supremo det tumulanda rogo.
Hoc mihi concedat saltem, non multa roganti,
  Nudaque cupressi frondibus ossa tegat;
Relliquias urna positas ubi viderit, Urna,
  Relliquias fidi, dicat, amantis habes,

Then to her new love let her go,
  And deck her in golden array;
Be finest at every fine show,
  And frolic it all the long day:
While Colin, forgotten and gone,
  No more shall be talk'd of, or seen,
Unless when beneath the pale moon
  His ghost shall glide over the green.

ROWE.

WILLIAM AND MARGARET.

WHEN all was wrapt in dark midnight,
  And all were fast asleep,
In glided Margaret's grimly ghost,
  And stood at William's feet.

Her face was like the April morn,
  Clad in a wintry cloud;
And clay-cold was her lily hand,
  That held the sable shroud.

Tum gemmis multoque nitens lasciviat auro,
  Igne novo felix, deliciisque novis;
Perpetuum, nitidas inter nitidissima nymphas,
  Saltibus absumat lætitiaque diem.
Longum abes interea, Corydon, longumque licebit
  Absis; te tacitum nox tenebræque premunt:
Ni tua fors, terræ immineat cum pallida luna,
  Lurida vicinum transvolet umbra nemus.

THIRSIS
ET
CHLOE.

OMNIA nox tenebris, tacitaque involverat umbra,
  Et fessos homines vinxerat alta quies;
Cum valvæ patuere, et gressu illapsa silenti,
  Thyrsidis ad lectum stabat imago Chloes.

Vultus, erat qualis lacrymosi vultus Aprilis,
  Cui dubia hyberno conditur imbre dies;
Quaque sepulchralem a pedibus collegit amictum,
  Candidior nivibus, frigidiorque manus.

So shall the fairest face appear,
  When youth and years are flown;
Such is the robe that kings must wear,
  When death has reft their crown.

Her bloom was like the springing flower,
  That sips the silver dew;
The rose was budded in her cheek,
  And opening to the view.

But love had, like the canker-worm,
  Consum'd her early prime:
The rose grew pale, and left her cheek;
  She dy'd before her time.

Awake, she cried, thy true-love calls,
  Come from her midnight grave;
Now let thy pity hear the maid,
  Thy love refus'd to save.

This is the dark and fearful hour,
  When injur'd ghosts complain;
Now dreary graves give up their dead,
  To haunt the faithless swain.

Bethink thee, William, of thy fault,
  Thy pledge, and broken oath;
And give me back my maiden-vow,
  And give me back my troth.

Cumque dies aberunt molles, et læta juventus,
Gloria pallebit, sic, Cyparissi, tua:
Cum mors decutiet capiti diademata, regum
Hac erit in trabea conspiciendus honos.

Forma fuit (dum forma fuit) nascentis ad instar
Floris, cui cano gemmula rore tumet;
Et Veneres risere, et subrubuere labella,
Subrubet ut teneris purpura prima rosis.

Sed lenta exedit tabes mollemque ruborem,
Et faciles risus, et juvenile decus;
Et rosa paulatim languens, nudata reliquit
Oscula; præripuit mors properata Chloen.

Excute te somnis; nocturno egressa sepulchro,
Evocat infidum Thyrsida fida Chloe:
Tandem O! nunc tandem miserere, audique puellam
Cui tuus invidit vivere durus amor.

Hæ tenebræ querulos manes, hæc elicit hora,
Ut tumulis reserent humida claustra suis;
Spectraque discurrunt, perjuri terror amantis,
Ut trepidum infestent exagitentque reum.

Thyrsi, tuum crimen, solenne recollige fœdus,
Et revoca læsos in tua vota deos;
Virgineamque fidem, jurataque verba remitte;
Et mea redde mihi vota, resume tua.

Now birds did sing, and morning smile,
And shew her glittering head:
Pale William shook in every limb
Then raving left his bed.

He hied him to the fatal place
Where Margaret's body lay,
And stretch'd him on the green grass turf,
That wrapt her breathless clay.

And thrice he call'd on Margaret's name,
And thrice he wept full sore;
Then laid his cheek to the cold earth,
And word spake never more.

MALLET.

Jam volucres cecinere, et festinavit ab ortu,
  Purpureo risu, sol aperire diem ;
Pallidus obstupuit Thyrsis, tremulusque cubili
  (Ah tremor ! ah pallor conscius !) exiliit.

Fatalem ad tumulum cursu contendit anhelus,
  Qua jacuit gelida morte soluta Chloe ;
Cespiteque in viridi, qui subtus flebile texit
  Corpus, se mœstum projiciebat onus.

Terque Chloen gemitu gemuit, ter voce vocavit,
  Et bibulam lacrymis ter madefecit humum :
Nudaque telluri nudæ dans oscula, nunquam
  Aut vocem lacrymis addidit, aut gemitum.

LECTORI S.

HABES in manu, Erudite Lector, Cantiunculam, nec amatorum suspiriis, nec compotorum refertam vociferationibus; sed gravitate et leporibus tam ex æquo temperatam, tam procul a senili remotam morositate, et ab ineptiis puerilibus tam abhorrentem et alienam, ut juvenes exinde quod præcipiat; et, quod delectet, excerpant seniores.

Materies hujusce Poematis ea humanæ felicitatis complectitur argumenta, ad quæ nostra omnium, ætate saltem provectiorum, contendunt vota. Nihil magnificum, nihil sumptuosum, nihil homine prudente et bono indignum, præoptatur. Supervacua, et ad veræ jucunditatem vitæ non facientia, repudiantur multa. Ea scilicet declinat

noster et aversatur auctor, quæ vel luxuries vitiose, vel lascive ignavia solet excogitare; satis beatus, si gaudiis, quæ sperando conceperit, nihil intervenerit curarum aut ægritudinis.

Sperantibus, quoad licita et innocua, omnia sunt libera. Et quoniam pleræque in futuro sunt voluptates, optando facimus præsentiores, et conspectui propius admovemus. Contemplatio est quoddam fruendi genus; et expectatio deliciarum, absentiæ quodammodo est solatium. Itaque æquissimo jure licebit voto indulgere nec infaceto nec illiberali, quod venientia senectutis incommoda, si non tota repellere et remorari, diminuere certe potest et delinire.

Diu Anglicis Lectoribus placuit, diuque, ut auguramur, placebit celebratum hoc opusculum: et speravimus auctori nostro non injurium fore, si Latine etiam legendum exhiberemus. Id certe optavimus, ut iterum exteris, apud quos peregrinatus est, quantum per nos posset, vetus innotesceret hospes; et fama, qua semel floruit, de

novo aliquantulum revivisceret. De nobis nihil ausi polliceri, tuæ, lector, benevolentiæ acceptum referemus, si Romanis auribus non prodeat omnino indignus; si Italis, quibuscum ei docta intercessit consuetudo, non multo ingratior, in hac etiam versione, quam suis est in lingua vernacula popularibus.

Ex promisso, annotationes ipsius Auctoris subjecimus pauculas; cæteris eo consilio omissis, ne nimii videremur, in re non prorsus necessaria. Hoc unicum exorandus restas, amice lector, ut si quid in transferendo hoc carmine interpres vel lubens (quod rarius fit) addiderit aut variaverit, vel genio linguarum aut idiomatum coactus diversitate prætermiserit, et excusandi et condonandi detur locus; qui citius forsan dabitur, si te præfando non ultra detineamus. Vive et bene vale.

THE

AUTHOR's PROLOGUE

TO THE

WISH.

QUID dedicatum poscit Apollinem
Vates? quid orat, de patera novum
Fundens liquorem? *Hor. Ode* 31. *Lib.* I.

Me quoties reficit gelidus Digentia rivus,
Quem Mandela bibit, rugosus frigore pagus,
Quid sentire putas? quid credis, amice, precari?
Ep. 18. *Lib.* I.

When poets offering at Apollo's shrine,
Out of the sacred goblets pour new wine,
What do they wish? what do they then desire?

When I'm at Epsom, or on Banstead Down,
Free from the wine, and smoke, and noise o'th' town;
When I those waters drink, and breathe that air,
What are my thoughts? what's my continual prayer?

THE WISH.

IF I live to be old, for I find I go [a] down,
Let this be my fate, in a country [b] town,
May I have a warm house, with a [c] stone at the gate,
And a [d] cleanly young girl to rub my bald pate.

CHORUS.

May I govern my [e] passion with an absolute sway,
And grow [f] wiser and better, as my strength wears
away;
Without gout or stone, by a gentle decay.

---

a "Labuntur anni; nec pietas moram
"Rugis, et instanti senectæ
"Afferet, indomitæque morti." Hor.
"Ocyor cervis, et agente nimbos,
—"Ocyor Euro." Idem.
"Ocyor et cœli flammis, et tigride fœta." Lucan.

b "O Rus, quando ego te aspiciam? quandoque licebit,
"Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis,
"Ducere sollicitæ jucunda oblivia vitæ?" Hor.

VOTUM.

Si senii descendam, et cœpi vergere, ad annos,
Rure mihi exigui sint, tepidique lares;
Præ foribus sit scamnum, et sit non sordida virgo,
Quæ molli foveat tempora calva manu.

CHORUS.

Æquo animum imperio subigam, prudentior usu,
Ut carptim attenuor, rex dominusque mei.
Nec podagræ, nec lithiasis cruciatibus urar;
Sed sensim extinctus devehar ad tumulum.

---

[c] By the help whereof I may mount my easy Pad-Nag, mentioned in the third stanza; in the west of England, they call it an Upping-Stock.

[d] "Quæ non offendat sordibus." Hor.

[e] "———Animum rege, qui, nisi paret,
"Imperat; hunc frænis, hunc tu compesce catena."
Idem.

[f] "Lenior et melior" fiam, "accedente senecta." Idem.

May my [g] little house stand on the [h] side of a hill,
With an easy descent to a mead and a [i] mill,
That when I've a mind I may hear my boy read,
In the mill if it rains, if it's dry, in the mead.
May I govern &c.

Near a shady [k] grove, and a murmuring brook,
With the ocean at [l] distance, whereon I may look,

---

g "Parva, sed apta, domus."

h Neither on the top nor the bottom; the best situation for a house or a city, affording both conveniency of cellars, and a descent to take off the waters.

i It will be thought the old man has made a very ill choice of a mill to hear his boy read in; but they who make this objection, either know not, or at least do not consider, that noise helps deafness, which is incident to old age. That this is a truth, both experience and reason evidence.

I have known several who could hear little or nothing in their chambers; but when they were in a coach rattling upon the stones, heard very well. I also knew a lady in Essex, whose name was Tyrrel, who, while she had occasion to discourse, used to beat a great drum, without which she could not hear at all; the reason whereof is this, the most frequent cause of deafness is the relaxation of the tympanum or drum of the ear, which, by this violent and continual agitation of the air, is ex-

Ad declive jugum, placidoque quod immineat amni,
Qua mola, qua pratum est, stet mea parva domus;
Ut sit, ubi assideam lectori auditor alumno,
Si sudus, vel si Jupiter udus erit.
Æquo animum imperio &c.

Qua nemus umbrosum, et salientis murmura rivi;
Esto in conspectu, sed procul esto, mare.

---

tended, and made more tight and springy, and better reflects sounds, like a drum new-braced.

k " Et paulum sylvæ super his foret." Hor.
" Et tecto vicinus jugis aquæ fons." Idem.
" Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec
" Frigidior Thracam, neque purior ambiat Hebrus." Idem.
" Labuntur altis interim ripis aquæ;——
" Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
" Somnos quod invitet leves." Idem.
" —Per pronum trepidat cum murmure rivum." Idem.
" Levis crepante lympha desilit pede." Idem.
" Unde loquaces
" Lymphæ desiliunt." Idem.

l " Neptunum procul e terra spectare furentem." Idem.
" ——Turbantibus æquora ventis,
" E terra, magnum alterius spectare laborem,
" ——Tua sine parte pericli:
" Non quia vexari quemquam est jucunda voluptas,
" Sed, quibus ipse malis careas, quia cernere suave est."
Lucr.

With a spacious plain, without hedge or stile,
And an easy pad-nag to ride out a mile.
May I govern &c.

With Horace and Petrarch, and two or three more
Of the best wits, that reign'd in the ages before;
With roast [m] mutton, rather than ven'son or teal,
And [n] clean, tho' coarse linen, at every meal.
May I govern &c.

With a [o] pudding on Sundays, with stout humming
liquor,
And remnants of Latin to welcome the vicar,
With [p] Monte-Fiascone, or [q] Burgundy wine,
To drink the [r] king's health as oft as I dine.
May I govern &c.

---

m "Accipe nunc, victus tenuis quæ quantaque secum
" Afferat: in primis valeas bene, nam variæ res
" Ut noceant homini, credas, memor illius escæ
" Quæ simplex olim tibi sederit. At simul assis
" Miscueris elixa, simul conchylia turdis;
" Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
" Lenta feret pituita. Vides ut pallidus omnis
" Cœna desurgat dubia? quin corpus onustum
" Hesternis vitiis animum quoque prægravat una,
" Atque affigit humi divinæ particulam auræ." Hor.

n "——Ne turpe toral, ne sordida mappa
" Corruget nares, ne non et cantharus et lanx

Planities juxta, sine fossa aut sepe, mihique
Porrectam et manno det spatiosa viam.
Æquo animum imperio &c.

Flaccus, Petrarcha, et veterum liber unus et alter
Adsint, ingenii quos celebravit honor.
Commendet dapibus melior, potiorque ferina,
Fercula simplicitas munditiæque mea.
Æquo animum imperio &c.

Sabbata distinguat fartum, conviva sacerdos,
Docti sermones, interiorque cadus.
Nec vini, Burgunde, tui mihi anecdota desint,
Quæ regi, quoties prandeo, sacra bibam.
Æquo animum imperio &c.

"Ostendat tibi te." Idem.

"Et mundus victus, non deficiente crumena." Idem.

"Mundæque parvo sub lare pauperum
"Cœnæ." Idem.

"Pauperies immunda domus procul absit: ego, utrum
"Nave ferar magna an parva, ferar unus et idem. Idem.

° Though the poet never eats any, he provides this dish for his guests; but principally in observance of the old English custom, to let no Sunday pass without a pudding. From this, and many passages before, it is evident that he is a very superstitious fellow.

P A town in Tuscany celebrated for good wine, and the epitaph of a Dutchman buried there; all the books

May my wine be vermilion, may my malt drink be
pale,
In neither extreme, or too mild or too stale:
In lieu of deserts, unwholesome and dear,
Let [t] Lodi or Parmesan bring up the rear.
May I govern &c.

Nor [t] Tory, or Whig, Observator or Trimmer
May I be, nor against the law's torrent a swimmer.
May I mind what I speak, what I write and hear read,
And with matters of state never trouble my head.
May I govern &c.

---

which treat of travelling through Italy relate this story at large. But since it may be new to some who shall read this, I will set it down in few words. A Dutch traveller with his servant lighted at the inn which lies out of the town, and thence sent his servant into it to find out the best wine, ordering him to write Est upon the door of the house wherein he found good wine; where he found better, Est, Est; where the best, Est, Est, Est; the servant obeyed his commands punctually. The master follows, and finds the tavern bearing this last inscription; and drank so much, that it cast him into a fever whereof he died. His servant buried him in the church, ingraving upon his tomb-stone this epitaph, which is still to be seen there;

Est, Est, Est.
Propter nimium Est.
Jo. de Fuc. D. meus mortuus est.

Purpura sit Baccho, Cereri sit pallor; et ævo
Maturus justo detur utrique sapor.
Divite pro virtu, luxuque salubrior omni,
Caseus esto tuus, Parma, corona dapum.
Æquo animum imperio &c.

Liber et immunis, nullis a partibus adstem,
Nec legum adversus vim fluviumque natem;
Quid loquar, aut scribam, cautusque et providus auctor,
Ire sinam regni res, velut ire volunt.
Æquo animum imperio &c.

---

q Beaune, a town in the dukedom of Burgundy, famous for a magnificent hospital, and the excellency of its wines, which are incomparably the best in France, if not in the world.

"Experto crede Roberto."
I do not speak this by hear-say.

r "Hinc ad vina redit lætus, et alteris
"Te mensis adhibet deum.
"Te multa prece, te prosequitur mero
"Diffuso pateris, et laribus tuum
"Miscet numen, uti Græcia Castoris
"Et magni memor Herculis.
"Longas, o utinam, dux bone, ferias
"Præstes Hesperiæ, dicimus integro
"Sicci mane die, dicimus uvidi,
"Cum sol oceano subest." Hor.

s Laus Pompeii, a wonderful fertile town in the duchy

Let the gods, who dispose of every king's crown,
Whomsoever they please, set up and pull down;
I'll pay the whole shilling impos'd on my head,
Tho' I go without [u] claret that night to my bed.
May I govern &c.

I'll bleed without grumbling though [w] that tax should
appear
As oft as new moons, or weeks in a year.
For why should I let a seditious word fall,
[x]Since my lands in y Utopia pay nothing at all?
May I govern &c.

Tho' I care not for riches, may I not be so poor,
That the rich without shame cannot enter my door;
[y] May they court my converse, may they take much
delight
My old stories to hear in a winter's long night.
May I govern &c.

My small stock of wit may I not misapply,
To flatter ill men, be they never so high;

---

of Milan, whose cheese is of greater fame than Parmesan.

[t] Those odious names of distinction kindled great animosity and strangeness, and even hatred, betwixt relations and friends.

[u] If that should happen, it would be a shrewd affliction to the poet.

[w] A poll-bill.

Di, quos imperium penes est, rerumque potestas,
Regna, quibus visum est, dent, adimantque data.
Impositum capiti solvam non invidus assem,
Una licet tubulo nox cyathoque caret.
Æquo animum imperio &c.

Solvam ego, nec querulus contra mussabo, tributa
Si poscant menses hebdomadesque nova;
Cur etenim obmussans duram vocitavero legem,
Cum fundi solvant nil mei in Utopia?
Æquo animum imperio &c.

Non peto divitias; nec sim tam sordide egenus,
Nauseet ut dives tecta subire mea;
Quin mecum historiis ad largum circulus ignem
Decipere hybernæ tædia noctis amet.
Æquo animum imperio &c.

Regum ut laudator fiam, vitiisque minister,
Ingenium nolim prostituisse meum;

---

x A good encouragement to pay for his head.

y A place in Jupiter, or the Moon, or some other of the planets; for it is not to be found in the map of the world.

z "———Pauperemque dives
"Me petit." Hor.

"——————Aniles
"Ex re fabellas." Idem.

Nor misspend the few moments I steal from the grave,
In fawning and cringing like a dog or a slave.
May I govern &c.

May none whom I love, to so great * riches rise,
As to slight their acquaintance, and their old friends despise;
So low or so high may none of them be,
As to move either pity or envy in me.
May I govern &c.

A friendship I wish for, but alas! 'tis in vain,
Jove's store-house is empty, and can't it supply,
So firm, that no change of times, envy, or gain,
Or flattery, or woman, should have power to untie.
May I govern &c.

But if friends prove unfaithful, and fortune a b whore,
Still may I be virtuous, though I am poor:
My life then as useless, may I freely resign,
When no longer I relish true wit and good wine.
May I govern &c.

---

* The Spanish proverb says,
" Let not God make our friends so rich, as to forget us."

b " Fortuna, sævo læta negotio, et
" Ludum insolentem ludere pertinax,
" Transmutat incertos honores,
" Nunc mihi, nunc alii, benigna.

Nec, canis ut caudam submittam et blandior instar,
  Perbreve, quod morti subtraho, tempus agam.
Æquo animum imperio &c.

Ad tantas nec surgat opes, quem diligo, quisquam,
  Nesciat ut notos, prætereatque videns;
Tam supra sit nemo situs, tam nemo sit infra,
  Ut mihi vel livor, vel siet inde dolor.
Æquo animum imperio &c.

Detur et oh! (si posco quod æquum est poscere) fidæ,
  Nec tamen ingentis, cultus amicitiæ;
Cultus amicitiæ, quam tempora nulla valebunt,
  Quam nullæ rerum dissoluïsse vices.
Æquo animum imperio &c.

Sin comites infidi, et sit fortuna proterva,
  Salva mihi virtus esto, licebit inops.
Tum demum videatur iners et inutilis ætas,
  Cum mihi nec vinum, nec sapit ingenium.
Æquo animum imperio &c.

" Laudo manentem; si celeres quatit
" Pennas, resigno quæ dedit, et mea
  " Virtute me involvo———
" ———Hinc apicem rapax
" Fortuna cum stridore acuto
  " Sustulit; hic posuisse gaudet." Hor.

To outlive my [c] senses may it not be my fate,
To be blind, to be deaf, to know nothing at all;
But rather let death come before 'tis so late,
And while there's some [d] sap in it, may my tree fall.
May I govern &c.

I hope I shall have no occasion to send
For priests or physicians, till I'm so near mine end,
[e] That I have eat all my bread, and drank my last glass;
[f] Let them come then, and set their seals to my pass.
May I govern &c.

With a courage undaunted, may I face my last [g] day,
And when I am dead may the better sort say,
In the morning when sober, in the evening when mellow,
He's gone, and not left behind him his fellow.
May I govern &c.

---

[c] May I not lose my sight, my hearing, and my memory, and be a burden to my friends, and myself, "Telluris inutile pondus," a dead unuseful burden to the ground.

[d] Some corporeal and intellectual vigour.

[e] The poet alludes to a tradition among the Turks, who believe, that when any one is born into the world, there is such a quantity of meat and drink set before him, which when he has consumed, he must die. The moral whereof is, he that desires to live long, must be sparing in his meat and drink.

Nec misere morbosum adeo delira senectus
  Conterat, ut faciat me superesse mihi;
Morte minus sera potius mea concidat arbor,
  Dum ramis aliquis succus et humor inest.
Æquo animum imperio &c.

Nec prius accersam medicum, nec pharmacopolam;
  Quam prope jam summum clauserit hora diem.
Totum ubi desumpsi panem, cyathumque supremum,
  Tum mihi subsignent, ilicet, ire licet.
Æquo animum imperio &c.

Forti atque impavido suprema ubi venerit hora,
  Hoc mihi qui dicat, sit, repetatque Vale:
Mortuus es, cui nullum aut mane aut vespere, nullum
  Aut siccum aut madidum, Pope, videbo parem.
Æquo animum imperio &c.

---

[f] That I may die regularly, observing all the ceremonies, formalities, and punctualities: "A la coutume," which is, according to our barbarous translation, "To a cow's thumb."

[g] " ——Ultima semper
" Expectanda dies homini est, dicique beatus
" Ante obitum nemo supremaque funera debet." Ovid.

If you tell an Italian, such a one is a rich, or happy man; he will reply, "Dammi lo morto," as much as to say, let me see him dead, and then it will be evident whether he is or not; before that, no true judgment is to be made.

Without any [h] noise when I've pass'd o'er the stage,
And decently acted what part [i] fortune gave,
And put off my [k] vest in a [l] chearful old age,
May a few honest fellows see me laid in my grave.
May I govern &c.

I care not, whether under a turf or a stone,
With any inscription upon it, or none:
If a thousand years hence, [m] Here lies W. P.
Shall be read on my tomb, what is it to me?
May I govern &c.

Yet one wish I add, for the sake of those [n] few
Who in reading these lines any pleasure shall take;
May I leave a good [o] fame, and a sweet-smelling name.
Amen. Here an end of my wishes I make.

CHORUS.

May I govern my passion with an absolute sway,
And grow wiser and better, as my strength wears away;
Without gout or stone, by a gentle decay. W. Pope.

---

h —"Secretum iter, et fallentis semita vitæ." Hor.
"Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit." Idem.

i "—Quem dederat cursum fortuna, peregi." Virg.

k My garments of flesh wherein I acted my part on the stage of the world; when the farce is done, and the curtain drawn.

l "————Precor integra
"Cum mente; nec turpem senectam
"Degere, nec cithara carentem." Hor.

m The poet presumes he shall have a very short and modest epitaph, if any: only the two first letters of his name.

Quam fortuna dedit, fabella ubi rite peracta,
Exierim scena clam, strepituque procul,
Et placidam exuerim, carnis cum veste, senectam,
Pulvere me comitum condat amica manus.
Æquo animum imperio &c.

Me nil solicitat, saxone an cespite signer,
Nominet an tumulus me, sileatne, meus.
Mille ubi transierint anni, quæ tanta sequetur
Gloria, si forsan litera bina legar?
Æquo animum imperio &c.

Si tamen hos versus, si quem legisse juvabit,
Hoc addo optatis, et superaddo nihil:
Dulcis honor virtutum, et odoræ gratia famæ,
Votique et vitæ terminus esto meæ.

CHORUS.

Æquo animum imperio subigam, prudentior usu,
Ut carptim attenuor, rex dominusque mei.
Nec podagræ, nec lithiasis cruciatibus urar,
Sed sensim extinctus devehar ad tumulum.

---

n "——Non, ut me miretur turba, laboro,
"Contentus paucis lectoribus."—— Hor.

o "Quæ post fata venit gloria, sera venit." Mart.

Though fame will not concern me, after I am dead, yet I wish for it because it will be a pleasure to my surviving friends:

Si quos "superesse volunt Di." Hor.

If I do not (which has happened to many old men) outlive all my friends.

SWEET WILLIAM's

FAREWELL TO BLACK-EY'D SUSAN.

All in the Downs the fleet was moor'd,
  The streamers waving in the wind,
When black-ey'd Susan came on board;
  Oh! where shall I my true love find!
Tell me, ye jovial sailors, tell me true,
Does my sweet William sail among the crew?

William, who high upon the yard,
  Rock'd with the billows to and fro;
Soon as her well-known voice he heard,
  He sigh'd, and cast his eyes below.
The cord slides swiftly through his glowing hands,
And (quick as lightning) on the deck he stands.

So the sweet lark, high pois'd in air,
  Shuts close his pinions to his breast,
(If, chance, his mate's shrill note he hear)
  And drops at once into her nest.
The noblest captain in the British fleet,
Might envy William's lips those kisses sweet.

GULIELMUS

SUSANNÆ VALEDICENS.

IN statione fuit classis, fusisque per auras
  Ludere vexillis et fluitare dedit;
Cum navem ascendit Susanna; O dicite, nautæ,
  Nostræ ubi deliciæ sunt? ubi noster amor?
Dicite vos, animi fortes, sed dicite verum,
  Agminibus vestris num Gulielmus inest?

Pendulus in summi Gulielmus vertice mali
  Hinc agitabatur fluctibus, inde, maris;
Protinus, ut vocem bene notam audivit, ad infra
  Præmisit gemitum, nec piger ipse sequi:
Vixque manu tangens funes, et præpete labens
  Descensu, alati fulguris instar, adest.

Sic alto in cœlo tremulis se librat ut alis,
  Si sociæ accipiat forsan alauda sonos,
Devolat extemplo; clausisque ad pectora pennis,
  In charæ nidum præcipitatur avis.
Basia, quæ Susanna suo permisit amanti,
  Navarcha optârit maximus esse sua:

O Susan, Susan, lovely dear !
  My vows shall ever true remain ;
Let me kiss off that falling tear :
  We only part to meet again.
Change as ye list, ye winds ; my heart shall be
The faithful compass, that still points to thee.

Believe not what the landmen say,
  Who tempt with doubts thy constant mind ;
They'll tell thee, sailors, when away,
  In every port a mistress find :
Yes, yes, believe them when they tell thee so,
For thou art present, wheresoe'er I go.

If to fair India's coast we sail,
  Thy eyes are seen in diamonds bright :
Thy breath is Africk's spicy gale ;
  Thy skin is ivory so white :
Thus every beauteous object, that I view,
Wakes in my soul some charms of lovely Sue.

Though battle call me from thy arms,
  Let not my pretty Susan mourn ;
Though cannons roar, yet safe from harms
  William shall to his dear return ;
Love turns aside the balls that round me fly,
Lest precious tears should drop from Susan's eye.

The boatswain gave the dreadful word,
  The sails their swelling bosom spread ;

Suave meum, et vita Susanna O! charior ipsa,
  Sunt mea, quæ vovi, sunt tibi vota rata;
Pendentem ex oculo da gemmam exosculer illam:
  Gratior ut reditu sit, Gulielmus abit.
Quo velit, inclinet ventus; te verget ad unam
  Cor meum, ut ad Boream nautica vergit acus.

Terra degentes vitam, tua pectora fida
  Tentabunt dubio solicitare metu:
In quovis portu, sed noli O! credere, dicent,
  Nauta, quod accendat mobile pectus, habet.
Quin O! quin credas; quodcunque invisero littus,
  Tu mihi, tu præsens ignis et ardor eris.

Sive Indus gemmarum, eboris seu fertilis Afer,
  Seu mihi visendus dives odoris Arabs:
Esse domi cunctas tecum reputabo relictas,
  Quas ostentet Arabs, Afer, et Indus, opes.
Quodcunque egregium, pulchrum, vel dulce videbo,
  Occurret quiddam, quod memorabo, tui.

Nec, mea lux, doleas; patriæ si causa requirat,
  Ut procul amplexu poscar ad arma tuo;
Qui tibi, bellorum qui fulmine tutus ab omni,
  Post aliquot menses restituendus ero.
Ne dulces istos contristet fletus ocellos,
  Mille avertendo tela, cavebit amor.

Solvere naucleri jussit vox ferrea navem,
  Vela tumescentes explicuere sinus:

No longer must she stay aboard:
They kiss'd; she sigh'd; he hung his head.
Her less'ning boat unwilling rows to land:
Adieu! she cries; and wav'd her lily-hand.

GAY.

TWEED-SIDE.

WHAT beauties does Flora disclose!
How sweet are her smiles upon Tweed!
Yet Mary's, still sweeter than those,
Both nature and fancy exceed.
Nor daisy, nor sweet blushing rose,
Nor all the gay flowers of the field,
Nor Tweed, gliding gently through those,
Such beauty and pleasure does yield.

The warblers are heard in the grove,
The linnet, the lark, and the thrush;
The black-bird, and sweet-cooing dove,
With music enchant every bush.

Dixit uterque, Vale; et lacrymis simul oscula miscens,
Addidit hæc gemitus, ille recline caput.
Invita et tarde ad terram Susanna recedit,
Et nivea repetit, Vive, valeque! manu.

TUEDA.

Quas aperit veneres! quam Flora arridet amœnum,
Ad placidam Tuedæ lene fluentis aquam!
His tamen, his cunctis, formosior una Maria,
Naturæ pariter vincit et artis opes.
Non rosa, non violæ, non picto margine bellis,
Totaque luxuries, qua variatur humus;
Non, quæ subrepens blando interlabitur agros
Flumine, tam suavi Tueda decore nitet.

Sylva choris avium resonat vocalis; et omne
Virgultum harmonia fervet, et omne nemus.
Miscent et merulæ numeros, gemitusque palumbes;
Desuper aërios addit alauda modos.

Come let us go forth to the mead,
  Let us see how the primroses spring;
We'll lodge in some village on Tweed,
  And love, where the feathered folks sing.

How does my love pass the long day?
  Does Mary not tend a few sheep?
Do they never carelessly stray,
  While happily she lies asleep?
Tweed's murmurs should lull her to rest,
  Kind nature indulging my bliss;
To relieve the soft pains of my breast,
  I'd steal an ambrosial ksss.

'Tis she does the virgins excel,
  No beauty with her can compare;
Love's graces all round her do dwell;
  She's fairest, where thousands are fair.
Say, charmer, where do thy flocks stray!
  Oh! tell me, at noon where they feed!
Shall I seek them on sweet-winding Tay,
  Or the pleasanter banks of the Tweed?

Vernantem in campum mecum descende, novique
  Videris, ut surgat primula, veris honos.
Dum populus circum cantat pennatus, amori
  Quam mecum ad Tuedam lenta vacare potes!

Quo minuit studio, quo longas decipit horas?
  Nonne aliquot teneras lux mea servat oves?
Nullus eas felix, nullus brevis abstrahit error,
  Dum furtim somnus lumina claudit heræ?
Murmure jucundo mollem suadere soporem
  Si possit votis Tueda secunda meis;
Ambrosiam labiis, animum quæ mulceat ægrum,
  Lætusque et tacitus, surripuisse velim.

Vulgares inter flammas meus emicat ignis,
  Ut nusquam forma nympha sit ulla pari:
Pluribus a pulchris, a mille et mille venustis,
  Distinguunt vitam gratia multa meam.
Suaviolum, quin fare, meum; quæ pascua malunt,
  Aut ubi, sub medio sole, vagantur oves?
Ad Tavæ errantes quæram sinuosa fluenta?
  Quæramve ad Tuedæ candidioris aquam?

LUCY AND COLIN.

Of Leinster, fam'd for maidens fair,
Bright Lucy was the grace;
Nor e'er did Liffy's limpid stream
Reflect so fair a face.
Till luckless love, and pining care,
Impair'd her rosy hue,
Her coral lips, and damask cheeks,
And eyes of glossy blue.

Oh, have you seen a lily pale,
When beating rains descend!
So droop'd the slow-consuming maid,
Her life now near its end.
By Lucy warn'd, of flattering swains
Take heed, ye easy fair:
Of vengeance due to broken vows,
Ye perjur'd swains, beware.

Three times, all in the dead of night,
A bell was heard to ring;
And shrieking at her window thrice,
The raven flapp'd his wing.

LUCIA ET CORYDON.

QUAS, venerum fœcunda parens, Lagenia novit,
  Lucia formarum gloria, flosque fuit:
Ora nec aspectu tam læta et pulchra Modoni
  Flumine de liquido pura reflexit aqua.
Sed dolor, et curæ, lætabile quicquid edentes
  Egregium sensim diminuere decus,
Sed deceptus amor carptim privavit ocellos
  Gemmis, coraliis labra, rosisque genas.

Vidistin' (quin sæpe vides!) ut languida marcent
  Lilia, quæ subitæ prægravat imber aquæ!
Lento sic periit tabo, sic palluit illa,
  Ad finem extremo jam properante die.
Hoc monitæ exemplo, blandos fallacis amantis,
  Credula vos nymphæ corda, timete dolos:
Discite, vos juvenes, læsam quam certa deorum
  Vindicta insequitur, quam gravis ira, fidem.

Timnitu sonuit terno campanula, cuncta
  Nocte intempesta cum siluere loca.
Terque ala increpitans cornix, rostroque fenestram
  Pulsans, lethales edidit ore sonos.

Too well the love-lorn maiden knew
  The solemn boding sound,
And thus, in dying words, bespoke
  The virgins weeping round.

I hear a voice you cannot hear,
  Which says, I must not stay;
I see a hand you cannot see,
  Which beckons me away.
By a false heart, and broken vows,
  In early youth I die:
Am I to blame, because his bride
  Is thrice as rich as I?

Ah, Colin! give not her thy vows,
  Vows due to me alone;
Nor thou, fond maid, receive his kiss,
  Nor think him all thy own.
To-morrow in the church to wed,
  Impatient, both prepare;
But know, fond maid, and know, false man,
  That Lucy will be there.

There bear my corse, ye comrades, bear
  The bridegroom blithe to meet;
He in his wedding-trim so gay,
  I in my winding-sheet.
She spoke, she died;—her corse was borne,
  The bridegroom blith to meet;
He in his wedding-trim so gay,
  She in her winding-sheet.

Accepit, novitque omen, bene conscia virgo
Fati, feralis quod recinebat avis;
Et moriens nymphis circum lacrymantibus infit,
Sic super exequiis illacrymata suis.

Vocem ego, quam vobis non est audire, jubentem
Audio, maturem præcipitemque fugam.
Dextram ego, quam vobis non est spectare, vetantem
Specto, ne fingam quid mediterve moræ.
In primæ morior succisa heu! flore juventæ,
Pectoris infidi capta puella dolo.
Idne æquum et fas est vitio mihi vertere, sponsæ
Quod minor est longe dos mea dote novæ?

Vota mihi, Juvenis, soli mihi credita, nulla
Oh! alienari conditione sinas.
At neque tu, virgo, blande nunc oscula dantem,
Quod tuus est hodie, dixeris esse tuum.
Jungere cras dextræ dextram properatis uterque,
Et tarde interea creditis ire diem.
Credula quin virgo, juvenis quin perfide, uterque
Scite, quod et pacti Lucia testis erit.

Exangue oh! illuc, comites, deferte cadaver,
Qua semel oh! iterum congrediamur, ait;
Vestibus ornatus sponsalibus ille, caputque
Ipsa sepulchrali vincta pedesque stola.
Dixit, et occubuit—delatum exangue cadaver,
Qua semel in longum congrederentur, erat:
Vestibus ornatus sponsalibus ille, caputque
Illa sepulchrali vincta pedesque stola.

Then what were perjur'd Colin's thoughts!
  How were those nuptials kept!
The bridemen flock'd round Lucy dead,
  And all the village wept.
Compassion, shame, remorse, despair,
  At once his bosom swell;
The damps of death bedew'd his brows,
  He shook, he groan'd, he fell.

From the vain bride, (ah bride no more!)
  The varying crimson fled;
When, stretch'd before her rival's corse,
  She saw her husband dead.
He to his Lucy's new made grave,
  Convey'd with trembling swains,
One mould with her, beneath one sod,
  For ever now remains.

Oft at this grave, the constant hind
  And plighted maid are seen;
With garlands gay, and true-love knots,
  They deck the sacred green.
But, swain forsworn, whoe'er thou art,
  This hallow'd spot forbear;
Remember Colin's dreadful fate,
  And fear to meet him there.

TICKELL.

Quo thalamos ritu credas celebrarier istos!
  Ut Corydon animi discruciatus erat!
Lucia ubi exanimis jacuit, coïere juventus,
  Et tota in fletus villa soluta fuit.
Extemplo juvenem pudor, ira, insania, luctus
  Distrahit, et furiis exagitatus amor;
Pallidaque humectans gelidis sudoribus ora,
  Perfidiæ ingemuit conscius, et cecidit.

Conjugis a vultu, nec jam ultra conjugis, omnis
  Purpura continuo fugit, et omnis honos:
Rivalem et sponsum, extensum cum corpore corpus,
  Funera cum vidit procubuisse duo.
Virginis ad tumulum desertæ ille, ossibus ossa
  Mixturus, juvenum lugubre fertur onus;
Idem nunc restat sub eodem cespite pulvis,
  Unaque cum nympha contumulatur humus.

Sæpius hunc visunt, qui numina justa verentur;
  Cum fida pariter virgine fidus amans.
Textilibus sertis, vittisque in mutua nexis,
  Sæpius hunc signant condecorantque locum.
Sed quicunque fidem dederis, nec fœdere certo
  Servatam, a sacro cespite siste gradum.
Quod subiit Corydon fatum, memor esto; nec illic
  Te tristi occursu terreat umbra, cave.

ADVICE TO CHLOE.

DEAR Chloe, while thus beyond measure,
  You treat me with doubts and disdain,
You rob all your youth of its pleasure,
  And hoard up an old age of pain.
Your maxim, that love is still founded
  On charms that will quickly decay,
You'll find to be very ill grounded,
  When once you its dictates obey.

The love, that from beauty is drawn,
  By kindness you ought to improve;
Soft looks and gay smiles are the dawn,
  Fruition's the sun-shine of love:
And though the bright beams of your eyes
  Should be clouded, that now are so gay,
And darkness possess all the skies,
  We ne'er can forget it was day.

Old Darby, with Joan by his side,
  You've often regarded with wonder;
He's dropsical, she is sore-ey'd,
  Yet they're ever uneasy asunder.

CHLOE MONITA.

DUM fastu me, chara Chloe, fas præter et æquum,
   Subruis, et reficis spe, cruciasque metu,
Deperdis, lætæ quod amœnum est omne juventæ;
   Inque senectutem triste reponis onus.
Forma brevis, dicis, flos est ætatis, amorque
   Rebus, quæ pereunt, ortus, et ipse perit;
Hoc tibi persuades: sed re modo dicta probâris,
   Quam male persuades, experiendo scies.

Ut sit perpetuus, forma qui nascitur, ut sit
   Mutuus, officiis crescere debet amor.
Sunt blandi risus primordia lucis; amore,
   Tum modo, cum fruimur, fulget aperta dies.
Si tibi nox tenebris illos obvelet ocellos,
   Qui tam jucundum nunc rutilumque nitent;
Si totum eripiat cœlum caligine, quanta,
   Dicemus memores, lux aliquando fuit!

Darbæum en vetulum vetula cum conjuge! vitam
   Quam placide infirmum par, et amanter agunt!
Blæsa illa est oculis, et crura hydropicus ille
   Vix trahit; at letho majus abesse malum est.

Together they totter about,
  Or sit in the sun at the door;
And at night, when old Darby's pot's out,
  His Joan will not smoke a whiff more.

No beauty nor wit they possess,
  Their several failings to smother;
Then what are the charms, can you guess,
  That make them so fond of each other?
'Tis the pleasing remembrance of youth,
  The endearments which youth did bestow;
The thoughts of past pleasure and truth,
  The best of our blessings below.

These traces for ever will last;
  No sickness or time can remove;
For when youth and beauty are past,
  And age brings the winter of love,
A friendship insensibly grows,
  By reviews of such raptures as these;
The current of fondness still flows,
  Which decrepit old age cannot freeze.

Gressibus invalidis conjux cum conjuge reptat ;
 Aut simul apricans considet ante fores ;
Cumque ille extremum cyathi desumpserit haustum,
 Deponit, certa lege, Joannes tubum.

Cum nulla utrivis, quicquid delinquit utervis,
 Corporis excusent ingeniive bona ;
Quas esse aut illi veneres aut conjicis illi ?
 Unde fit, alterius tam sit ut alter amans ?
Dulce recordari est actos feliciter annos,
 Quam sensim ad canam consenuere fidem ;
Inde sacrum fœdus, firmoque est copula nexu ;
 Qua melius terris Dii tribuere nihil.

Longum illa, in longum, quæ nulla aboleverit ætas,
 Nullaque morborum vis, monumenta maneat :
Namque decor simul omnis abest et gratia formæ ;
 Fitque, quod ætatis restat, amoris hyems ;
Crescit amicitiæ suavis reputantibus usus,
 Quam vel adhuc grati præteriere dies.
Quæque retardari possunt per nulla senectæ
 Frigora, perpetuo gaudia fonte fluunt.

THE FLY.

BUSY, curious, thirsty fly,
Drink with me, and drink as I;
Freely welcome to my cup,
Could'st thou sip and sip it up;
Make the most of life you may,
Life is short, and wears away.

Both alike, both thine and mine,
Hasten quick to their decline;
Thine's a summer, mine's no more,
Though repeated to threescore:
Threescore summers, when they're gone,
Will appear as short as one.

MUSCA.

POTARE, musca, de meo aut quovis scypho
Vocata, non vocata, præsens advena,
Lubens libensque curiosam exple sitim,
Siccare totum si valebis poculum :
Ævi fugacis punctulum carpe, arripe ;
Ævi, quod interire pergit indies.

Utriusque vita properat, et tua et mea,
Ad exitum cursu incitato vergere ;
Æstas tuæ, nec amplius spatium est meæ,
Ad bis tricenas usque si redit vices :
Cum præteribit bis tricena, sicuti
Unius æstatis videbitur fuga.

THE INVITATION

TO A

ROBIN-RED-BREAST.

DOMESTIC bird, whom wintry blasts
To seek for human aid compel,
To me for warmth and shelter fly,
Welcome beneath my roof to dwell:
Supplies, thy hunger to relieve,
I'll daily at my window lay,
Assur'd that daily those supplies
With grateful song thou wilt repay.

Soon as the new-returning spring
Shall call thee forth to woods and groves,
Freely revisit then the scene,
Which notes as sweet as thine approves:
But if another winter's blast
Should bring me back my guest again,
Again with music come prepar'd
Thy friendly host to entertain.

AD

RUBECULAM

INVITATIO.

HOSPES avis, conviva domo gratissima cuivis,
  Quam bruma humanam quærere cogit opem,
Huc O! hyberni fugias ut frigora cœli,
  Confuge, et incolumis sub lare vive meo:
Unde tuam esuriem releves, alimenta fenestræ
  Apponam, quoties itque reditque dies;
Usu etenim edidici, quod grato alimenta rependes
  Cantu, quæ dederit cunque benigna manus.

Vere novo, tepidæ spirant cum molliter auræ,
  Et suus in quavis arbore vernat honos,
Pro libitu ad lucos redeas, sylvasque revisas,
  Læta quibus resonat musica parque tuæ:
Sin iterum, sin forte iterum, inclementia brumæ
  Ad mea dilectam tecta reducat avem,
Esto, redux, grato memor esto rependere cantu
  Pabula, quæ dederit cunque benigna manus.

The sacred power of harmony
  In this its best effect appears,
That friendship in the strictest bands
  It both engages and endears.
In music's ravishing delights
  You feather'd race with men agree;
Of all the animated world
  The only harmonists are we.

THE SNOW-DROP.

WITH head reclin'd, the snow-drop see,
The first of Flora's progeny,
In virgin modesty appear,
To hail and welcome in the year.

Fearless of winter, it defies
The rigour of inclement skies,
And early hastens forth to bring
The tidings of approaching spring.

Vis hinc harmoniæ, numerorum hinc sacra potestas
  Conspicitur, nusquam conspicienda magis;
Vincula quod stabilis firmissima nectit amoris,
  Vincula vix longa dissocianda die.
Captat et incantat blando oblectamine musa
  Humanum pariter pennigerumque genus;
Nos homines et aves, quotcunque animalia vivunt,
  Nos soli, harmoniæ gens studiosa sumus.

FLORÆ PRIMITIÆ.

VIRGINEUM casto caput en! recline pudore
  Flosculus ostentat, de nive nomen habens!
Ecce! recens natum primus resalutet ut annum,
  Exerit e gelida se properanter humo!

Nec rigidi conterret eum inclementia cœli,
  Frigida nec Boreæ vis, hyemisque minæ;
Axe statim verso, quin protinus exit in auras,
  Veris ut instantis nuntia læta ferat.

Though simple in its dress and plain,
It ushers in a beauteous train;
And claims, how gaudy e'er they be,
The merit of precedency.

All that the gay or sweet compose,
The pink, the violet and the rose,
In fair succession as they blow,
Their glories to the snow-drop owe.

LOVE DISARMED.

Beneath a myrtle's verdant shade,
As Chloe half asleep was laid,
Cupid perch'd lightly on her breast,
And in that heaven desir'd to rest:
Over her paps his wings he spread,
Between he found a downy bed,
And nestled in his little head.

Still lay the God: the nymph surpriz'd,
Yet mistress of herself, devis'd,

Nativo quamvis cultu candoreque simplex,
  Pulchrum illa inducit simplicitate chorum,
Nec totidem veneres inter, quotcunque sequuntur,
  Se primum dubitat promeruisse locum.

Quicquid enim tenerum spirant, vel amabile miscent,
  Lilia, vel violæ, purpureæque rosæ,
Quique aliis alii succedunt floribus, omne
  Ex uno excipiunt simplice flore decus.

AMOR INERMIS.

QUA myrtus ramis viridem contexuit umbram
  Diffusis, jacuit semisupina Chloe.
Huc tacito accessit tendens vestigia gressu,
  Et furtim in molli pectore sedit Amor.
Expansis mammas alis protexit, et intus
  Intrusum occuluit parvulus erro caput.

Ut nympha excussit somnum, perterrita numen
  In tepido sensit delituisse sinu.

How she the vagrant might enthrall;
And captive him, who captives all.
Her boddice half-way she unlac'd:
About his arms she slily cast
The silken bond, and held him fast.

The God awak'd; and thrice in vain
He strove to break the cruel chain:
And thrice in vain he shook his wing,
Incumber'd in the silken string.

Flutt'ring the God, and weeping said,
Pity poor Cupid, generous maid,
Who happen'd, being blind, to stray,
And on thy bosom lost his way:
Who stray'd, alas! but knew too well,
He never there must hope to dwell.
Set an unhappy pris'ner free,
Who ne'er intended harm to thee.

To me pertains not, she replies,
To know or care where Cupid flies;
What are his haunts, or which his way;
Where he would dwell, or whither stray:
Yet will I never set thee free;
For harm was meant, and harm to me.

Vain fears that vex thy virgin heart!
I'll give thee up my bow and dart:
Untangle but this cruel chain,
And freely let me fly again.

At revocans animos, fraudem sub pectore versat,
Cætera qui fallit, fallere certa deum.
Tum solvens zonam, pueri per brachia ducit,
Et teneras vincit callida nympha manus.

Sopitum lædunt divum nova vincula; Somne,
Non ita cum vinclis excutienda tuis;
Ter filum vano tentat diffringere nisu,
Ter frustra ad celerem tenditur ala fugam.
Et trepidam quatiens pennam, cum fletibus inquit,
Fortunæ ignoscas, blanda puella, meæ;
Ignoscas, si cæcum, inquit, me devius error
Duxerit ad pectus, candida virgo, tuum:
Devius error erat certe; namque heu! bene norâm,
Quod sedes illic non habiturus eram.
Dimittas captivum, oro; qui nil tibi, nympha, est
Molitus, certe nil tibi, nympha, mali.

Nec scio, nec me scire juvat, cui rettulit illa,
Unde puer venias, quo fugiasve vagus;
Non mihi, quæ latebræ, quæ sint habitacula, curæ est,
Non mihi, qua nectas in regione moram;
At non dimittam; neque enim tibi credo; parabas
Nam certe insidias, insidiasque mihi.

Virgineum quæ curæ urgent tibi pectus inanes!
Ipse lubens arcus, et tibi tela dabo:
Captivo mihi, chara Chloe, si vincula solvas,
Et me, quo libeat, rursus abire sinas.

Agreed! secure my virgin heart;
Instant give up thy bow and dart:
The chain I'll in return untie;
And freely thou again shalt fly.
Thus she the captive did deliver;
The captive thus gave up his quiver.

The God disarm'd, e'er since that day,
Passes his life in harmless play;
Flies round, or sits upon her breast,
A little, flutt'ring, idle guest.

E'er since that day, the beauteous maid,
Governs the world in Cupid's stead,
Directs his arrows, as she wills;
Gives grief, or pleasure; spares, or kills.

PRIOR.

CHLOE HUNTING.

BEHIND her neck her comely tresses tied,
Her i.'ry quiver graceful by her side,
A hunting Chloe went: she lost her way,
And through the woods uncertain chanc'd to stray.

Virgineum defende meum de vulnere pectus,
Et mihi des arcus, et mihi tela lubens:
Captivo tibi, chare puer, tum vincula solvam,
Et te, quo libeat, rursus abire sinam.
Vincula sic puero solvit nympha, et sua nymphæ
Vincula solventi, tradidit arma puer.

Se deus hinc lusu puerili exercet inermis,
Nec juvenes curat virgineosque greges:
Interdum ad pectus volitat, nymphamque revisit;
Sed sedet innocuum numen, et hospes iners.

Hinc arcus pharetramque gerens funestaque tela,
Pro libitu passim dirigit arma Chloe;
Pro libitu parcit vel vulnerat; ipsa Cupido
Et simul in terris regnat, et ipsa Venus.

CHLOE VENATRIX.

FORTE Chloe, pulchros nodo collecta capillos
Post collum, pharetraque latus succincta decora,
Venatrix ad sylvam ibat; cervumque secuta
Elapsum visu, deserta per avia tendit

Apollo passing by, beheld the maid;
And, Sister dear, bright Cynthia, turn, he said:
The hunted hind lies close in yonder brake.
Loud Cupid laugh'd, to see the God's mistake:
And laughing cried, learn better, great divine,
To know thy kindred, and to honour mine.
Rightly advis'd, far hence thy sister seek,
Or on Meander's banks, or Latmus' peak.
But in this nymph, my friend, my sister know;
She draws my arrows and she bends my bow.
Fair Thames she haunts, and every neighb'ring grove
Sacred to soft recess, and gentle love.
Go, with thy Cynthia, hurl the pointed spear
At the rough boar, or chace the flying deer:
I and my Chloe take a nobler aim:
At human hearts we fling, nor ever miss the game.

PRIOR.

Incerta. Errantem nympham conspexit Apollo,
Et, Converte tuos, dixit, mea Cynthia, cursus;
En ibi (monstravitque manu) tibi cervus anhelat
Occultus dumo, latebrisque moratur in illis.
Improbus hæc audivit Amor, lepidumque cachinnum
Attollens, Poterantne etiam tua numina falli?
Hinc quæso, bone Phœbe, tuam dignosce sororem,
Et melius venerare meam. Tua Cynthia longe
Mæandri ad ripas, aut summi in vertice Latmi,
Versatur; nostra est soror hæc, nostra, inquit, amica est:
Hæc nostros promit calamos, arcumque sonantem
Incurvat, Tamumque colens, placidosque recessus
Lucorum, quos alma quies sacravit amori.
Ite per umbrosos saltus, lustrisque vel aprum
Excutite horrentem setis, cervumve fugacem,
Tuque sororque tua, et directo sternite ferro:
Nobilior labor, et divis dignissima cura,
Meque Chloenque manet; nos corda humana ferimus,
Vibrantes certum vulnus, nec inutile telum.

THE GARLAND.

THE pride of every grove I chose,
  The violet sweet, and lily fair,
The dappled pink, and blushing rose,
  To deck my charming Chloe's hair.

At morn the nymph vouchsaf'd to place
  Upon her brow the various wreath;
The flowers less blooming than her face,
  The scent less fragrant than her breath.

The flowers she wore along the day;
  And every nymph and shepherd said,
That in her hair they look'd more gay
  Than glowing in their native bed.

Undrest at evening, when she found
  Their colours lost, their odours past,
She chang'd her look, and on the ground
  Her garland and her eye she cast.

That eye dropt sense distinct and clear,
  As any muse's tongue could speak;

SERTUM.

SELEGI nemoris suave est quodcunque vel horti,
  Liliaque, et violas, virgineasque rosas;
Quod caryophyllis pulchre variatur, ut esset
  Ornatum capiti texeret unde Chloe.

Illa statim in sertum textos imponere flores
  Dignata est pulchris, munere læta, comis.
At neque sic positis, si virginis ora videres,
  Gratia vel formæ par, vel odoris, erat.

Quæ primo induerat florum redimicula mane,
  Gessit per totum nympha venusta diem;
Et juvenes pariter, pariter dixere puellæ,
  Non in natali sic nituisse solo.

Exuta ut flores sensit, quod nulla colorum
  Vespere restaret gratia, nullus odor;
Palluit obtutu, gemuitque, oculoque pudice
  Demisso, sertum dejiciebat humi.

Ille, silens quamvis, musa facundior omni,
  Index egregiæ mentis ocellus erat;

When from its lid a pearly tear
  Ran trickling down her beauteous cheek.

Dissembling what I knew too well,
  My love, my life, said I, explain,
This change of humour: pr'ythee tell,
  That falling tear, what does it mean?

She sigh'd; she smil'd; and to the flowers
  Pointing, the lovely moralist said,
See, friend, in some few fleeting hours,
  See yonder, what a change is made!

Ah me! the blooming pride of May
  And that of beauty are but one:
At noon both flourish bright and gay;
  Both fade at ev'ning, pale, and gone.

At dawn poor Stella danc'd and sung,
  The am'rous youth around her bow'd;
At night her fatal knell was rung,
  I saw, and kiss'd her in her shroud.

Such as she is, who died to day,
  Such I, alas! may be to-morrow;
Go, Damon, bid thy muse display
  The justice of thy Chloe's sorrow.

PRIOR.

Cum furtim ex illo, gemmæ rutilantis ad instar,
  Pulchram humectaret lucida gutta genam.

Quod scivi, nescivi ; et cur, charissima vita !
  Oh ! mea lux ! dixi, cur ea gutta cadit ?
Unde obiit pallor vultus ? fare, obsecro, fare,
  Tam subito lapsu gutta quid illa velit ?

Ecce ! unde ! (ingemuitque simul, peramabile ridens)
  Ecce ! ait interpres pulchra, sit unde dolor !
Dona tua en quantum, paucis fugientibus horis,
  Unica mutârit, tota nec illa, dies !

Hei mihi ! quod floret languetque superbia Maii,
  Floret idem formæ gloria, languet idem.
Utraque mane vigens placidumque et dulce rubescit ;
  Utraque marcescit vespere, pallet, abit.

Cum mane illuxit, multos Stella inter amantes,
  Saltibus et cantu, lusus amorque fuit :
Vespere pallentem conspexi in frigore mortis,
  Osculaque exsangui terque quaterque dedi.

Triste hodie et pallens quod cernitur illa, videbor
  Cras istud forsan triste cadaver ego.
I, Damon, Musamque jube describere versu,
  Quam justo doleat vestra dolore Chloe.

THE WREATH.

TRANSLATED BY MR. D. LEWIS.

SWEET, lovely, chaste,
  Ye lilies haste,
That in the vallies breathe :
  To Phyllis haste,
  Sweet, lovely chaste,
For Phyllis twine the wreath.

  Ye roses come,
  With virgin bloom,
The pride of gardens own'd ;
  That from your bed
  Diffusive shed
Ambrosial odours round.

  Ye violets too,
  In fields that grow,
And drink the vernal dew ;
  That dash the woods,
  The meads, the floods,
With drops of purple hue.

  And all ye flowers,
  Whose wilder stores

COROLLA.

LILIA, adeste,
Gloria vallis,
Candida castaque,
Sertaque nectite
Castæ Phyllidi,
Phyllidi candidæ ;

Virgineæ rosæ,
Quæ decus horti
Suave rubescitis,
Ambrosiosque
Fusius exha-
latis odores ;

Vos violæ, quæ,
Luxuriantis
Purpura veris,
Nascimini, sub-
nasciminique,
Pulchræ, humilesque ;

Vos quoque, flosculi,
Copia ruris,

O'er nature's face are seen ;
  Whose various dies
  Promiscuous rise,
And paint th' enamel'd green.

  Come, herbs, all ye
  That tempt the bee
From leaf to leaf to roam ;
  Whose balmy veins
  Reward her pains,
And send her loaded home.

  All, all be join'd,
  Of ev'ry kind,
Flowers, herbs ; the sweet, the gay ;
  Twist arm in arm,
  Weave charm with charm,
To Phillis haste away.

  Come, and invest
  Her snowy breast,
Come, bind her flowing hair ;
  Like Flora's dress
  Be Phyllis's ;
Like Flora she is fair.

  But little 'dures
  Whate'er, ye flowers,
Whate'er, ye herbs, can give ;
  Nor shall your aid
  Long grace the maid,
Nor have you long to live.

Qua variatur
Omnis agellus,
Qua decoratur
Omne viretum;

Vos redolentes
Herbulæ, adeste,
Quas operosæ
Delibant apes,
Florea per loca
Huc illuc vagæ;

Herbulæ, adeste,
Vos quoque, flosculi,
Et simul omnes
Intertexite
Mille colores,
Milleque odores.

Sic redimite
Phyllida nostram,
Ut neque Flora
Vestra decentior,
Aut dea sit jucundior aspici.

At neque longam
Sic redimitæ
Phyllidi gratiam
Mille potestis
Addere flores,
Addere flosculi.

A little while
Your glories smile,
A little, little reign;
The sun, that warms
Your opening charms,
Oft sees them close again.

Or if they stay
Another day,
And yet another sun;
Then comes a blaze
Of fiercer rays;
They wither and are gone.

A year consumes,
Another comes,
And then a new takes place:
Another new
Shall then ensue,
Another new, to pass.

But, all the while,
Her beauties smile,
And tempt the lover's care:
A year consumes,
Another comes;
And Phyllis still is fair.

To all one date
Assigns not fate,
As plain, too plain, appears:

Quotquot odores,
Quotquot honores
Ver breve vobis
Impetrat, idem
Sol aperitque,
Claudit et idem:

Quosve recludit
Forsan et alter, et
Alter ab altero,
Proximus, et qui
Nascitur illo,
Urit, adurit.

Interit annus,
Et subit alter,
Quem novus urget,
Et novus alter,
Intereuntem
Interiturus.

Sed florescere
Cernit eadem
Phyllida forma,
Quique recedit,
Quique supervenit,
Alter et alter.

Non datur ætas
Omnibus una,
Nec decet omnes.

Your glories live,
Days four or five,
But her's as many years.

Yet, gentlest race,
Your fleeting grace
To blooming Phyllis lend:
And, as you fade,
Remind the maid,
That years like days must end.

MELISSA.

TRANSLATED BY MR. S. WESLEY.

If, friend, a wife you mean to wed,
Worthy of your board and bed,
That she be virtuous, be your care,
Not too rich, and not too fair:
One who nor labours to display
New complexions every day,
Nor, studying artificial grace,
Out of boxes culls a face.

Una superbia ;
Cedite Phyllidi,
Cedite, flosculi.

Cedite, sed ce-
dendo dierum
Quo fuga ritu,
Pergit, eodem
Dicite et annos
Ire, perire.

MELISSA.

HANC, Marce, cum ducetur uxor, elige
  Mensæque consortem et tori :
Bene moribus morata, quæ forma placet,
  Nec dote dotatur nimis,
Non elaborat illa, de die in diem,
  Se fingere et refingere ;
Vultumve curiosa sumit artifex
  Ab hac, ab illa pyxide,

Nor live-long hours for dressing spares,
  Placing to displace her hairs,
And straight repl ce: an idle pin
  Ten times shifting out and in.
Nor daily varies, vainly nice,
  Thrice her silks, and colours thrice:
Fond o'er and o'er her suits to range,
  Changing still, and still to change.
Nor gads to pay, with busy air,
  Trifling visits here and there;
Long rapping at each door aloud,
  Nuisance to a neighbourhood.
If e'er a play she deign to see,
  (Very rarely shall it be)
She likes not wit in lewdness shown,
  Jests ill-manner'd for a clown;
But hears, with ignorance or rage,
  Double meanings of the stage.
Her spotless mind, the lustful tale
  Nauseates in the nicest veil.
She ne'er is found in crowds unclean,
  Entred mysteries obscene;
Nor seeks in mask, and antick dress,
  Unconfin'd lasciviousness:
Nor pale, and angry, gaming high,
  Rattles the unlucky die.
Till sun-rise restless vigils keeps,
  Light consuming in her sleeps;
Inverting nature, turns with play
  Day to night, and night to day.

Nec dislocandis et locandis crinibus,
  Quos iterum et iterum dislocet,
Absumit horas, unam ineptulam aciculam
  Deciesque figens et movens.
Nec exuendis, induendis, vestibus,
  Diversa ter, ter discolor,
Jubar evehit cum Phœbus, et cum devehit,
  Mutatur et mutabitur.
Nec visitando pulsat has et has fores,
  Ut portet importunum ave,
Meam inquietans et tuam viciniam
  Ineptiis et otio.
Si forte spectatrix theatris interest,
  (Et interest rarissima)
Illiberales nescit infacetias,
  Et non verecundos sales
Audire patiens; omnis immodestiæ
  Perosa turpitudinem;
Sensusque dubii et involuti ambagibus
  Impura nauseat abdita.
Nec initiatur mysticis congressibus,
  Noctisque cæremoniis,
Vel induens larvam, vel obnubens caput,
  Lasciviat ut audentior.
Nec, invenustis ut fritillis increpet,
  Et aleis impalleat,
Tenebras ad usque solis ortum vigiliis,
  Lucemque dat soporibus;
Dulces diei et noctis invertens vices,
  Ratasque leges temporum.

This round of follies let her choose,
Flitting life who likes to lose,
And lets her quickly-ending days
Pass, and perish, as they pass.
The time that vulgar maids despise,
Careless, thoughtless, how it flies,
Melissa wise, esteems, and knows
Well to use it, ere it goes.
If e'er Melissa wed my friend,
With her ent'ring shall attend
Virtues and Graces by her side,
Bride-maids fit for such a bride:
Neat Beauty without art display'd,
Rosy Health with native red;
With her bright Innocence shall go,
Purer than the falling snow;
Quiet, that far from quarrels flies;
Mirth and Pleasure, Love and Joys:
Firm Faith, that plighted promise keeps,
Silence watching o'er her lips:
Prudence, that ponders all events,
Wealth-increasing Diligence:
Religion, mindful what is ow'd
To herself and to her God.
Patient to bear, to pardon free,
Loveliest grace Humanity!
If erring nature chance to fail,
Feeble, inadvertent, frail:
Who hates low-whisper'd spite conceal'd,
Scandal yet to few reveal'd;

Properantis ævi circulum nympha expleat
Has inter elegantias,
Prætermeare quæ fugam vitæ sinit,
Brevemque summam negligit.
Quos ire et interire permittunt dies
Indiligens, incogitans
Vulgus puellarum, Melissa computat
Feliciore calculo.
Tuas in ædes nuptiali cum face,
Et cum Melissa conjuge,
Intrare pronubas videbis Gratias,
Sacrumque Virtutum chorum.
Sine arte compta; et elegans sine tædio,
Aderit Venustas ; et Salus
Suo rubore rosea ; et Innocentia
Cadente purior nive ;
Aderit Amor, Risus, Voluptas, Gaudium,
Et litium fugax Quies.
Aderit labella comprimens Taciturnitas,
Et fœderis servans Fides ;
Et omnis eventus memor Prudentia,
Divesque rerum Industria :
Accedet his virtutibus pia Humilitas,
Nunquam immemor Dei aut sui.
Regina Gratiarum aderit Humanitas,
Perferre facilis et pati,
Humana si natura quid deliquerit,
Aut caverit si quid parum :
Calumniantium susurros improbans,
Paucisque notam infamiam ;

Since Envy makes with rumour'd lies
Friends and brethren enemies.
Grood-breeding shall her handmaid be,
Join'd with chast-look'd Modesty ;
While open heart, and hand and face,
Hospitality displays.
If e'er Melissa grace your home,
These attendants with her come.
Whate'er can good or ill befall,
Faithful partner she of all.
Whose wisdom, teaching well to bear,
Sooths the bitterness of care ;
Whose joy, if prosp'rous fate you meet,
Adds new sweetness to the sweet.
These ties will nuptial love engage,
Down from youth to hoary age,
If e'er Melissa, lovely spouse !
Life's companion ! crown your vows.
Such, such a consort choose to wed,
Worthy of your board and bed.

Memor, invidi rumoris ut Malignitas,
  Inimicat urbes et domos.
Famulabitur castum intuens Modestia,
  Et docta cultu Urbanitas ;
Et advenis præsens domi Hospitalitas,
  Aperta vultus et manum.
His cum sodalibus Melissa gratiis
  Ducetur ad tuam domum ;
Fidelis, ægrum quicquid aut lætabile est,
  Et vera tecum particeps ;
Solando quæ curarum amara leniat,
  Et consulendo temperet ;
Fruendo quæ felicitates augeat,
  Et quæ novis addat novas.
Irrupta copula hisce continebitur,
  His vinculis firmabitur,
Validis ab annis ad senectam, si tuæ
  Melissa sit vitæ comes ;
Quam, Marce, cum ducetur uxor, elige,
  Mensæque consortem et tori.

DEDICATION

PREFIXED TO

TABLES OF ANCIENT COINS, WEIGHTS, AND MEASURES;

IN THE YEAR 1727.

By MR. CHARLES ARBUTHNOT,

STUDENT OF CHRIST CHURCH, OXFORD.

TO THE KING.

GREAT name *, which in our rolls recorded stands,
Leads, honours, and protects the learned bands,
Accept this offering to thy bounty due,
And Roman wealth in English sterling view.
Read here, how Britain, once despis'd, can raise
As ample sums, as Rome in Cæsar's days;
Pour forth as numerous legions on the plain,
And with more dreadful navies awe the main.

---

* The king's name stands first in the buttery-book of Christ-Church, 1727.

DEDICATIO

AD

REGEM;

IN IPSIUS GRATIAM LATINE REDDITA.

Augustum nomen, nostro qui primus in albo
Præfulges, doctasque auges, quas protegis, artes;
Externas digneris opes, veterumque monetam,
Et Romæ Angliaca librare numismata lance.
Hic lege, quas, olim neglecta, Britannia jactet,
Queis neque, devicti spoliis Orientis onusta,
Roma recensebat plures sub Cæsare gazas;
Quot campum agminibus stipet, quo fulmine, quantis
Per mare diffusas classes terroribus armet,
Et tua quam late pandat vexilla per orbem.
Clausa licet terras spatiis brevioribus, udum,
Qua pontus patet usque ambos porrectus ad Indos,
Vindicat imperium: nec passim, ut Roma, rapinis
Omnia divexans, armis sua furta tuetur,
Audax grassatrix; sed cultu divitis arvi
Proventus, peregrino auro, telæque labores
Mutat lanificæ, vestire et pascere gentes
Læta magis, quam vi nudare, et perdere ferro.

Tho' shorter lines her fix'd dominions bind,
Her floating empire stretches unconfin'd.
From Thetis' stores, and not her neighbours' spoils,
She draws her treasure, fruit of honest toils.
Rome sack'd, and plunder'd; Britain clothes and
feeds;
Acquires their riches, but supplies their needs.
Sweet seat of freedom! be thy happier doom,
To 'scape the fate, as well as guilt of Rome:
Where riot, offspring of unwieldy store,
Enerv'd those arms, that snatch'd the spoil before;
With costly cates she stain'd her frugal board,
Then with ill-gotten gold she bought a lord.
Corruption, discord, luxury combin'd,
Down sunk the far-fam'd mistress of mankind.

Hear righ'eous Prince! O hear us loud invoke
Thy worth unblemish'd, to avert this stroke:
Yourself so free from ev'ry lawless view,
You scarce admit the homage that is due.
Let other monarchs, with invasive bands,
Lessen their people, and extend their lands;
By gasping nations hated and obey'd,
Lords of the deserts, that their sword has made;
For thee kind heav'n a nobler task design'd,
To fix thy empire on thy people's mind;
High on thy British throne, to mark from far,
And calm the billows of the rising war;
To smooth the frowns on fair Europa's face,
And force reluctant nations to embrace.

Esto tibi, O libertatis pulcherrima sedes!
Sors melior, nescire et fata et crimina Romæ,
Cui studiosa dapum inventrix, et prodiga mensæ
Luxuries, et copia iners, visuque libido
Obscœna, in tantum nervos animosque resolvit,
Degener ut prorsus morum, fœcundaque culpæ,
Servitii pretiosa emptrix, plebemque patresque
Corrupta, et discors armis, et perdita luxu,
Corruerit victrix orbis, rerumque potita.

O pater! O princeps! nec frustra assuefe vocari:
Audi, obtestamur majestatemque fidemque
Virtutemque tuam, nobisque averte malorum
Hanc faciem; ipse adeo procul ambitionis ab œstro,
Ut tibi vix solvi meritos patiaris honores.
Injustis alii reges dominentur in armis,
Quos aut cædis amor, famæve insana cupido
Imperii fines late signare ruina
Impulit, et vacui deserta extendere regni:
Hæ tibi sunt artes, cœlo O charissime princeps!
Excelso a solio procul observare procellam
Nascentem, et belli primos compescere fluctus;
Contractam terrore Europæ expandere frontem,
Ducere in amplexum populos, et fœdere gentes
Jungere, et in pacem luctantia cogere regna.
Utque tuam adversi nuper cum murmure venti
Frangere paulisper conati, egere Britannum
Ad portum, et tuto posuere in littore navem:
Sic quæ jam stragem intentat felicibus Anglis

As late the jarring winds, with mingled roar,
Struggled to wreck, yet wafted you to shore:
So shall the storm, that threats your peaceful land,
Roll harmless o'er, or burst where you command.

Tempestas, sævitque minis, martemque lacessit,
Te medium belli pacisque ubi senserit, ultro
Innocuos fluctus Britonum devolvet ab oris,
Et frustra inceptas ponet submissior iras.

ANUS SÆCULARIS:

QUÆ CENTUM ANNORUM ÆTATEM, IPSO DIE NATALI EXPLEVIT ET CLAUSIT, ANNO 1728.

SINGULARIS prodigium O senectæ,
Et novum exemplum diuturnitatis!
Cujus annorum series in amplum
Desinit orbem!

Vulgus infelix hominum, dies, en!
Computo quam dispare computamus!
Quam tua a summa procul est remota
Summula nostra!

Pabulum nos luxuriesque lethi,
Nos, simul nati, incipimus perire;
Nos statim a cunis cita destinamur
Præda sepulchro.

Occulit mors insidias, ubi vix
Vix opinari est, rapidæve febris
Vim repentinam, aut male pertinacis
Semina morbi.

Sin brevem posset superare vita
Terminum, quicquid superest, vacivum
Illud ignavis superest, et imbe-
cillibus annis.

Detrahunt multum minuuntque sorti
Morbidi questus gemitusque anheli;
Ad parem crescunt numerum diesque
Atque dolores.

Si quis hæc vitet (quotus ille quisque est !)
Et gradu pergendo laborioso
Ad tuum, fortasse tuum, moretur
Reptilis ævum;

At videt, mœstum tibi sæpe visum, in-
jurias, vim, furta, dolos, et inso-
lentiam, quo semper eunt, eodem
Ire tenore.

Nil inest rebus novitatis; id quod
Sæculum præsens videt, illud ipsum
Vidit elapsum prius, et videbit
Omne futurum.

Temporum quicquid variatur, et quod
Uspiam est nugarum et ineptiarum,
Unius volvi videt et revolvi
Circulus ævi.

Integram ætatem tibi gratulamur;
Et dari nobis satis æstimamus,
Si tuam, saltem vacuam querelis,
Dimidiemus.

THE CRICKET.

TRANSLATED BY COWPER.

LITTLE inmate, full of mirth,
Chirping on my kitchen hearth;
Wheresoe'er be thine abode,
Always harbinger of good,
Pay me for thy warm retreat,
With a song more soft and sweet,
In return thou shalt receive
Such a strain as I can give.

Thus thy praise shall be exprest,
Inoffensive, welcome guest!
While the rat is on the scout,
And the mouse with curious snout,
With what vermin else infest
Every dish and spoil the best;
Frisking thus before the fire,
Thou hast all thine heart's desire.

Though in voice and shape they be
Form'd as if akin to thee,

AD GRILLUM.

ANACREONTICUM.

O QUI meæ culinæ
Argutulus choraules,
Et hospes es canorus,
Quacunque commoreris,
Felicitatis omen;
Jucundiore cantu
Si quando me salutes,
Et ipse te rependam,
Et ipse, qua valebo,
Remunerabo musa.

Diceris innocensque
Et gratus inquilinus;
Nec victitans rapinis,
Ut sorices voraces,
Muresve curiosi,
Furumque delicatum
Vulgus domesticorum,
Sed tutus in camini
Recessibus, quiete
Contentus et calore.

Thou surpassest, happier far,
Happiest grasshoppers that are,
Theirs is but a summer's song,
Thine endures the winter long,
Unimpair'd and shrill and clear,
Melody throughout the year.

Neither night nor dawn of day,
Puts a period to thy play,
Sing then—and extend thy span
Far beyond the date of man—
Wretched man, whose years are spent
In repining discontent,
Lives not, aged though he be,
Half a span compar'd with thee.

Beatior cicadâ,
Quæ te referre forma,
Quæ voce te videtur;
Et saltitans per herbas,
Unius, haud secundæ,
Æstatis est chorista:
Tu carmen integratum
Reponis ad Decembrem,
Lætus per universum
Incontinenter annum.

Te nulla lux relinquit,
Te nulla nox revisit,
Non musicæ vacantem,
Curisve non solutum:
Quin amplies canendo,
Quin amplies fruendo,
Ætatulam, vel omni,
Quam nos homunciones
Absumimus querendo,
Ætate longiorem.

Nunc iterum sylvas dumosque peragrat, et affert
Providus assiduas hospes ad antra dapes.
Juxta epulis accumbit homo conviva leonis;
Nec crudos dubitat participare cibos.
Quis tamen ista ferat desertæ tædia vitæ!
Vix furor ultoris tristior esset heri.
Devotum certis caput objectare periclis,
Et patrios statuit rursus adire lares.
Traditur hic, fera facturus spectacula plebi,
Accipit et miserum tristis arena reum.
Irruit e caveis fors idem impastus, et acer,
Et medicum attonito suspicit ore leo;
Suspicit, et veterem agnoscens vetus hospes amicum,
Decumbit notos blandulus ante pedes.
Quid vero perculsi animis stupuere, Quirites?
Ecquid prodigii, territa Roma, vides?
Unius naturæ opus est; ea sola furorem
Sumere quæ jussit, ponere sola jubet.

Cantabrigiæ, in Comitiis prioribus, 1716—17.

IN MILTONUM.

MAXIMUS antiquis venisti mœnibus hospes
Jam tandem, nitidoque graves in marmore vultus
Erigis, O decus! O tanti laus optima tecti!
Nec talis prisco Chaucerus conditur ingens
In tumulo pater, aut vario modulamine dulcis
Spenserus, non arte pares, non divitis haustu
Castaliæ tanto, liquidive aspergine fontis.
  Ipse nova virtute ingentes fortior ausus
Aggrederis, vates, validoque agis impete mirum
Certus iter, cursusque novos ultra avia longe
Limina Musarum, veterisque cacumina Pindi:
Quantus per Graias olim mirabilis urbes
Ibat Mæonides, divûmque ferebat honorem:
Quantus in attonitis volitabat rupibus Orpheus:
Ille deûm sanctas stirpes et nomina vates
Æternumque canit decus, antiquosque labores,
Aut hominum genus, aut diæ primordia lucis;
Turbatasque domos superis, immissaque bella,
Immanes ausus! tum victis Tartara triste
Effugium, horrentesque umbras. Stupet undique turba
Fulgura verborum et docti miracula cantûs.

Tale tuum carmen nobis. Quin pulchra recludis
Hortorum spatia, irriguisque ingentia campis
Flumina concelebras, primævi regna parentis;
At dulcis conjux secla inter lucida florum
Mollibus invigilat curis, ubi dives opacat
Umbra toros, myrtusque viret, dubiique rubores
Nascuntur violis, et se crocus induit auro.
Post autem, rupto fatali fœdere, tristis
Exilii pœnas subeuntes rura peragrant
Sola simul trepido gressu, ambiguique viarum.
Limina dilectasque domos feralia flammis
Tela nitent circum et sævæ formidinis ora:
Tam facili polles citharæ moderamine, tanto
Numine verborum, variarumque ubere rerum
Ingenio: ergo animos quædam divina voluptas
Percipit, aut trepidos sensus perlabitur horror
Intimus, aut vero perculsi pectora luctu
Solvimur in lacrymas tecum, et misereścimus ultro.
  Salve, sancta mihi sedes, tuque, unice vates!
Extructumque decus tumuli, et simulacra verendi
Ipsa senis, laurique comæ, et tu muneris auctor
Egregii!—Tanto signatum nomine marmor
Securum decus et seros sibi vindicet annos!

AD

DAVIDEM COOK,

WESTMONASTERII CUSTODEM NOCTURNUM ET VIGILANTISSIMUM, ANNO 1716.

INDICIUM qui sæpe mihi das carmen amoris,
  Reddo tibi indicium carmen amoris ego.
Qui faustum et felix multum mihi mane precaris;
  Dico atque ingemino nunc tibi rursus, ave.
Te neque dinumerat gallus constantius horas,
  Nec magis is certo provocat ore diem.
Cum variis implent tenebræ terroribus orbem,
  Tu comite assuetum cum cane carpis iter.
Nec te, quos seræ emittunt post vina popinæ,
  Nec te, quos lemures plurima vidit anus,
Nec te perterrent, nodoso stipite fretum,
  Subdola qui tacito pectore furta parant.
Sed si cui occurras, prima qui portat ad urbem
  Sub luce, exiguus quas dedit hortus opes,
Hunc placidis dictis, et voce affaris amica;
  Utque dies fausta luce, precaris, eat.

Tinnitu adventum signans, oriantur an astra,
  Narras, an pure lucida luna micet.
Dumque quies nos alta manet, nec frigoris ullus
  Securos, pluviæ nec metus ullus habet:
Tu gelidos inter ventos versaris et imbres,
  Cum mala tempestas, et nigra sævit hiems.
Seu te præsentem vicus, seu viculus, audit;
  Nocturnum multo carmine fallis iter.
Quid si culta minus, docta vacet arte poësis,
  Si simplex versus sit, numerique rudes;
Invidiam somnus (tanta indulgentia noctis)
  Opprimit; et livor, te recitante, silet.
Divorum hyberni menses quotcunque celebrant,
  Cuique locum, et versum dat tua musa suum:
Crispino ante omnes; neque enim sine carmine fas est
  Nobile sutorum præteriisse decus.
Nec tua te pietas fieri permiserit unquam
  Cæsaris immemorem Cæsareæque domus.
Officio dominos multo dominasque salutas;
  Gratia nec fidæ sedulitatis abest.
Multa docens juvenes, et pulchras multa puellas,
  Utile tu pueris virginibusque canis:
Conjugium felix monitis utentibus optas,
  Cunctaque quæ castus gaudia lectus habet,
Tu monitor famulis sexus utriusque benignus,
  Munditias illis præcipis, hisce fidem.
Omnibus at votis hoc oras atque peroras,
  Ut dominis cedant prospera quæque tuis.
Unum hoc præ cunctis meminisse hortaris, ut imis
  Summa etiam exæquet mortis amica manus.

Quid tibi pro totidem meritis speremus? amori
Quisve tuo æqualis retribuatur amor?
Tuque tuusque canis si nos visetis, uterque
Grati eritis nobis, tuque tuusque canis.
Mille domos adeas, et non ignobile munus
(Nulla minus solido) dent tibi mille domus;
Quemque bonum exoptas nobis, lætumque Decembrem,
Esto tibi pariter lætus, et esto bonus.

IN OBITUM ROUSSÆI,

COLLEGIO TRINITATIS SERVI A CUBICULIS,

ANNO 1721.

ALME Charon, (nam tandem omnes, qui nascimur et qui
Nascemur, tua nos cymba aliquando manet)
Per ripas fer circum oculos, omnesque recense
Manes, ad Stygias qui glomerantur aquas;

Prospice, si crassam fors exploraveris umbram,
Non est in toto crassior umbra loco.
Luctantem cernes, animasque hinc inde minores
Turbantem, ut cubito pandat utroque viam.
Squalidus et pinguis totus, tibi navita dextram
Tendet, ad Elysii trajiciendus agros.
Dum vixit, Roussæus erat, nostri accola Cami,
Quem puerum novit, novit et unda senem.
Navita non illo melior fuit; esset agenda
Seu remis, conto seu subigenda, ratis.
Nec quisquam ex humero contorsit rete sinistro,
Certius incautis piscibus exitium.
Quid tamen hæc memoro, Camus cum perfidus idem
Roussæum inviso merserit amne suum!
Hunc nostro ut reddas cœlo, te carmine multo,
Alme Charon, Grantæ mœsta juventa petit.
Sin Parcæ prohibent, et inexorabilis Orci,
Quem petimus, reditum lex inimica vetat:
Hoc saltem concede; admota ad littora cymba,
Per Stygium nautam transvehe, nauta, lacum.
Nec poscas naulum; loculos nam vivus inanes
Gessit, et haud obolum, quem tibi solvat, habet.
Quod si tam crebras transmittere te piget umbras,
Et longum refugis, portitor unus, opus:
Accipe divisi socium comitemque laboris;
Divisus levior fiet utrique labor.
Adde quod (ut similes estis) dubitabitur, utrum
Roussæus geminus sit, geminusve Charon.

EPITAPHIUM IN CANEM.

PAUPERIS hic Iri requiesco Lyciscus, herilis,
Dum vixi, tutela vigil columenque senectæ,
Dux cæco fidus: nec, me ducente, solebat,
Prætenso hinc atque hinc baculo, per iniqua locorum
Incertam explorare viam; sed fila secutus,
Quæ dubios regerent passus, vestigia tuta
Fixit inoffenso gressu; gelidumque sedile
In nudo nactus saxo, qua prætereuntium
Unda frequens confluxit, ibi miserisque tenebras
Lamentis, noctemque oculis ploravit obortam.
Ploravit nec frustra; obolum dedit alter et alter,
Queis corda et mentem indiderat natura benignam.
Ad latus interea jacui sopitus herile,
Vel mediis vigil in somnis; ad herilia jussa
Auresque atque animum arrectus, seu frustula amice
Porrexit sociasque dapes, seu longa diei
Tædia perpessus, reditum sub nocte parabat.
  Hi mores, hæc vita fuit, dum fata sinebant,
Dum neque languebam morbis, nec inerte senecta,
Quæ tandem obrepsit, veterique satellite cæcum
Orbavit dominum: prisci sed gratia facti

Ne tota intereat, longos deleta per annos,
Exiguum hunc Irus tumulum de cespite fecit,
Etsi inopis, non ingratæ, munuscula dextræ;
Carmine signavitque brevi, dominumque canemque
Quod memoret, fidumque canem dominumque be-
nignum.

DENNERI ANUS*.

Doctum anus artificem, juste celebrata, fatetur,
Denneri pinxit quam studiosa manus.
Nec stupor est oculis, fronti nec ruga severa;
Flaccida nec sulcis pendet utrinque gena.
Nil habet illepidum, morosum, aut triste tabella;
Argentum capitis præter, anile nihil.
Apparent nivei vittæ sub margine cani,
Fila colorati qualia Seres habent.

---

* Diu publico fuit spectaculo egregia hæc tabula, in area palatina exteriori, juxta Fanum Westmonasteriense.

Lanugo mentum, sed quæ tenuissima, vestit;
  Mollisque, et qualis Persica mala tegit.
Nulla vel e minimis fugiunt spiracula visum;
  At neque lineolis de cutis ulla latet.
Spectatum veniunt, novitas quos allicit usquam,
  Quosque vel ingenii fama, vel artis amor.
Adveniunt juvenes; et, anus si possit amari,
  Dennere, agnoscunt hoc meruisse tuam.
Adveniunt hilares nymphæ; similemque senectam,
  Tam pulchram et placidam dent sibi fata, rogant.
Matronæ adveniunt, vetulæque fatentur in ore
  Quod nihil horrendum ridiculumve vident.
Quantus honos arti, per quam placet ipsa senectus;
  Quæ facit, ut nymphis invideatur anus!
Pictori cedit quæ gloria, cum nec Apelli
  Majorem famam det Cytherea suo!

AD

IOANNEM PERKINS,

ASTROLOGUM CANTABRIGIENSEM.

LUSIT, amabiliter lusit fortuna jocosa,
Et tunc, si quando, tunc oculata fuit,
Cum tibi, Ioannes, * Newtoni sternere lectum;
Cum tibi musæum verrere diva dedit.
Nam dum ille intentus studiis cœlestibus hæsit,
Concipiens ambos mente capace polos;
Quanta cum stellis stellæ, cumque orbibus orbes,
Harmonia servent, quoque tenore, vices:
Impete quo cursum acceleret per inane cometes,
Urgeat ut rapidam præcipitetque fugam:
Hæc ille expendens animo, dum schemata docta
Format, et ad numeros grande reducit opus;
Tu quoque cognatus stellis, Martique Jovique,
Mercurio et Veneri, non rudis hospes eras:

* Isaaci Newton, Eq. Aur. cujus fama longiori annotatione non eget.

Tuque genethliacas solers quadrare tabellas,
  Felix natalis necne sit hora, doces;
Quo junctum affectu fuerit cum sidere sidus,
  Quo, legis, aspectu res hominesque regat.
Tuque etiam, interpres fatorum, et nuncius astris,
  Callidus æthereas es reserare domos.
Quem meritis fortuna tuis indulsit honorem,
  O adeo illustri digne minister hero!
Quis non invideat frater tibi muneris illud?
  Quis tua non laudet sidera φιλομαθής?
Cum musis musæ famulantur, et artibus artes,
  Majori (ut fas est) obsequiosa minor;
Nec melior lex est, nec convenientior æquo,
  Quam siet astronomo servus ut astrologus.

IDEM AGIT IDEM.

FELICULA ad speculum saltu lascivit herile,
  Lascivam saltu feliculamque videt.
Nigra videt nigram; bicolor naso, bicolorem;
  Glaucaque torquentem lumina, glauca tuens.

Et sociam ad lusus lentæ incurvamine caudæ
  Provocat, et lepidi mobilitate pedis.
Utraque utramque lacessit, et utraque palpat utramque;
  Et molles oppositos explicat unguiculos.
Jam tumet in tergum, et simulatas expuit iras;
  Et tumet, et similes expuit umbra minas.
Quænam hæc sit, nimia unde sui tam mimica, quærit
  Felis, an in speculo, post speculumne, siet.
Te quoque, præsentem præsens, quam quæris et illa
  Quærit, an in speculo, post speculumne, sies.
Alterutra alterutram quæritque et decipit; idque
  Feliculæ facitis, quod facis una, duæ.

SIMILE AGIT IN SIMILE.

CRISTATUS, pictisque ad Thaida psittacus alis,
  Missus ab Eoo munus amante venit.
Ancillis mandat primam formare loquelam;
  Archididascaliæ dat sibi Thais opus.

Psittace, ait Thais, fingitque sonantia molle
  Basia, quæ docilis molle refingit avis.
Jam captat, jam dimidiat tyrunculus; et jam
  Integrat auditos articulatque sonos.
Psittace mi pulcher pulchelle, hera dicit alumno;
  Psittace mi pulcher, reddit alumnus heræ.
Jamque canit, ridet, deciesque ægrotat in hora,
  Et vocat ancillas nomine quamque suo.
Multaque scurratur mendax, et multa jocatur,
  Et lepido populum detinet augurio.
Nunc tremulum illudit fratrem, qui suspicit, et pol!
  Carnalis, quisquis te docet, inquit, homo est;
Argutæ nunc stridet anus argutulus instar;
  Respicit et nebulo es, quisquis es, inquit anus.
Quando fuit melior tyro, meliorve magistra!
  Quando duo ingeniis tam coiere pares!
Ardua discenti nulla est, res nulla docenti
  Ardua; cum doceat fœmina, discat avis.

THE PARROT.

TRANSLATED BY COWPER.

In painted plumes superbly drest,
A native of the gorgeous east,
By many a billow tost;
Poll gains at length the British shore,
Part of the captain's precious store,
A present to his toast.

Belinda's maids are soon preferr'd
To teach him now and then a word,
As Poll can master it;
But 'tis her own important charge
To qualify him more at large,
And make him quite a wit.

Sweet Poll! his doating mistress cries,
Sweet Poll! the mimic bird replies,
And calls aloud for sack,
She next instructs him in the kiss,
'Tis now a little one like miss,
And now a hearty smack.

At first he aims at what he hears
And listening close with both his ears,
  Just catches at the sound;
But soon articulates aloud,
Much to th' amusement of the crowd,
  And stuns the neighbours round.

A querulous old woman's voice
His humorous talent next employs,
  He scolds and gives the lie;
And now he sings, and now is sick,
Here Sally, Susan, come, come quick,
  Poor Poll is like to die.

Belinda and her bird! 'tis rare
To meet with such a well match'd pair,
  The language and the tone,
Each character in every part
Sustain'd with so much grace and art,
  And both in unison.

When children first begin to spell
And stammer out a syllable,
  We think them tedious creatures;
But difficulties soon abate,
When birds are to be taught to prate,
  And women are the teachers.

AGENS ET PATIENS SUNT SIMUL.

DUXIT Acon Leonillam; haud una atque altera luna
  Interiit, male cum se nova nupta tulit:
Os pallet, languent oculi, stomachoque fit ista
  Nausea, quæ gravidas denotat esse nurus.
Esto fides dictis; eadem quoque nausea Aconti est,
  Pallidus est pariter vultus, ocellus hebes.
Nutrix, sedula anus, fomenta utrique ministrat,
  Cardiacum uxori, cardiacumque viro.
Quis novus hic, nutrix, morbus? socii unde dolores?
  Quave sumus gravidi conditione viri?
Nutrix, callida anus, fuit, inquit, utrique voluptas;
  Æqua satis lex est, ut sit utrique dolor.

ITER PER TAMISIN.

URBEM cum volui crassumque relinquere fumum,
Plaustrorumque vages strepitus currusque crepantes;
Nunc vocem stridentis anus, nunc murmura rauca
Audire invitus fusæ per compita turbæ,
Quam miser emittit vates et sordida musa;
Ad littus descendi et amœni Tamisis undas;
Ut possem recreare animum, placidoque recessu
Et virides campos et dulcia visere rura.
At nautæ venientem ubi me videre sagaces,
Sese disponunt, omnes clamare parati:
Et jam protensis manibus diversa loquuntur,
Jamque vices rediisse suas, cinguntque tacentem.
Nutu signa dedi; accepto decurrere signo
Festinat quidam, et cymbam velociter infert
Præcipiti prora, reliquasque hinc inde jacentes
Proturbans, aperit cursus aditumque patentem.
Interea dives pingui cum conjuge civis,
Visendi pariter captus dulcedine ruris,
Advenit, et puppim mecum conscendit eandem.
Portitor, ut mulier navem conscendit, amicam

Præbebat dextram, et gressus firmabat iniquos.
Sæpe quidem voluit causas finxisse morandi,
Expectans alium, si fors descenderet ullus,
Quem veheret, sed sæpe suum detrudere jussus
Navigium, littus tandem terrasque relinquit.
Hic, antique pater fluvii, tibi grata camœna
Si tenuis, placidus cœptis juvenilibus adsis,
Et cymbæ nostrosque idem tu dirige cursus.
Jamque parat validis incumbere navita remis,
Et genibus nostris vestes imponere curat,
Exutus curtam tunicam, cui mantica læva
Argento gravis, atque extantibus aspera signis.
His ita dispositis, tubulum cum pyxide magna
Depromit, nigrum longus quem fecerat usus.
Hunc postquam implêrat pæto, silicemque parârat,
Excussit scintillam; ubi copia ponitur atri
Fomitis, hinc ignem sibi multum exugit, et haustu
Accendens crebro, surgentes deprimit herbas
Extremo digito: in cineres albescere pætum
Incipit, et naso gratos emittit odores.
Tum remex puppim, medius qua fluminis alveus,
Dirigit, et prono velox delabitur amne.
Jamque illic sumus admoti, qua causidicorum
Stat senis ad Thami flumen celeberrima nutrix.
Hic juvenes rixarum et diræ litis amantes
Discunt clamare, hic venalia fundere verba,
Sumptibus hic et mille moris vexare clientes.
Ex parte adversa mediis domus innatat undis,
Infamis domus, infami de nomine dicta.
Hinc ubi provehimur, pulchræ vestigia sedis,

Tristes relliquias ignis, spoliumque videmus
Flammarum; vel adhuc murorum in fragmine prisci
Magnifica apparent operis monumenta, domusque
Majestas antiqua, ipsis veneranda ruinis.
Nec procul hinc excelsæ arces, spatiosaque sese
Atria justitiæ tollunt, ubi fronte severa
Assidet, et dextra tenet æquam Astrea bilancem.
Tecta super triplex surgit qua cuspis in auras,
Hic caput effossum tumulo fixere rebellis
Cromwelli; indicium sceleris non prorsus inulti,
At nimium seræ tanto pro crimine pœnæ.
Has præterlapsi sedes advertimur illic
Quo coëunt proceres, ut curam impendere possint,
Et patriæ populisque, et res componere regni.
Nobile stat juxta fanum, structura columnis
Ardua, principibus cinerum fidissima custos:
Hic nostri accipiunt Reges, ponuntque coronam.
Jamque domus celeri motu discedere visæ
Lambethique ædes, pallatia præsule digna;
Et canam abscondunt urbem subeuntia prata.
Paulatim fugiunt turres, summique videntur
Diminui templorum apices; manet unica Pauli
Et longe effulget reliquis conspectior ædes.
Hinc tardæ patiens operæ, nec tædia damnans
Piscator solus summa consistere ripa
Cernitur, intentus studio si prêndere possit
Pisciculum, vel forte vagam si fallere prædam;
Nec lepidos risus aut improba scommata curat,
Sed salibus respondet, et ipse aliquando jocosus.
Occurrunt, seque alterno clamore salutant

Nautæ; nec raro noster mordacia remex,
Si forte offendat quenquam, convicia spargit,
Infensus semper miseris sartoribus hostis:
Dum coëant in fictæ omnes certamina rixæ,
Obscœnæque sonent lites, pravique cachinni,
Fœmineæ vocesque, et natæ in jurgia linguæ.
Plurima tum nobis (nam nôrat plurima) narrat
Navita, præteritos gaudens memorare labores:
Quot mala pertulerat juvenis, quam sæpe inimico
Naufragio periturus erat; quæ tristia vota
Exanimis, quas sæpe preces emiserat olim,
Cum nigra tempestas, et dira mari incubuit nox.
Quem Martis terrorem, et quæ discrimina belli;
Quas præsens quondam pugnas, quæ viderat arma!
Sed tum præcipue, recolens, cum Belgica classis
Puppibus effugit laceris: Quam fortiter Angli
Pugnabant animosi, et certe fortiter, inquit,
Si Britones unquam fortes, pugnavimus Angli.
Hæc repetens patriæ dulcique incensus amore
Arsit, et agnovit veteres in pectore flammas.
Interea exhalat sinuosum in nubila fumum,
Et canæ ascendunt verba inter singula nubes:
Sic tubulo fallit, fallit sermone laborem.
Prospicit hinc, oculosque vagos fert omnia circum,
Errantem si forte aliquem prope littora vidit,
Exclamans; sed sæpe sonum fert ventus inanem.
Dum flexus crebros curvi superavimus amnis,
Chelseiæ apparent apices, poteratque videri
Regale hospitium: Veterani hic otia grata
Exercent tuti, et secura in pace senescunt.

Mox ubi nuda pedes et non improvida turba
Dispersum in mediis carbonem colligit undis,
Cœperunt fluctus salientem attollere proram;
Naufragio infamis locus hic undaque furente.
Arboreum tandem lucum sylvamque videmus
Ordinibus celebrem variis, ubi densior ilex
Occursu viridi nimios defendere soles
Rite queat, junctas ramis sociantibus umbras.
Hæc sedes olim sævis male nota duellis:
Nec tantas nostis diffuso sanguine cædes
Vos, campi, domus est qua Montacuta, patentes,
Læsus honor si quando fremens opprobia ferre
Nesciat, aut furiosi animi implacabilis ardor.
Confestim ultricis poscat certamina pugnæ
Impatiens, solumque velit sibi damna rependi
Martis ad arbitrium; sed nec pugnacibus aptæ
Hæ tantum, aut lethi solis horroribus umbræ
Insignes; epulas, queis sunt convivia curæ,
Nocturnas huc sæpe ferunt; huc sæpe per undas
Delapsi placidas, venti cum ponitur ira,
Harmonia oblectant Tamum, nymphasque sequaces,
Advecti tacitæ per conscia lumina lunæ.

FANATICUS.

CONSCENDIT primum tremulus cum pulpita frater,
Stat tacitus, multumque screans, ut vocis apertum
Pandat iter, geminas, positis prope dactylothecis,
Ad cœlum attollit palmas; tum lumina claudens
Dat gemitum, secumque diu submurmurat intus.
Vox tandem erumpit; deinde altera, et altera deinde:
At lento passu, gemitu prius interjecto.
Mox animos sensim revocans, residemque furorem,
Vim dictis paulatim addit; jam subsilit, et jam
Stans pede suspenso, tentat quid possit anheli
Pulmonis, laterumque labor: per tempora rivis
It salsus sudor; tandem fanatica surgit
Tempestas, totasque quatit clamoribus ædes.
Haud aliter leni nutantes flamine ramos
Insurgens agitat Boreas, tremulasque susurrat
Per frondes; mox buccam utramque animosior inflat,
Et validos quassat celso cum vertice truncos:
Post, ubi collectæ vires, majorque tumultus
Per totam auditur sylvam, ab radicibus imis
Sternit humi antiquas quercus, rapidamque procellam
Agglomerat, lataque implet nemus omne ruina.

THE FANATIC.

WHEN first to speak uprises Simon Pure,
Silent he stands, with countenance demure;
He coughs, he spits, and with many a hawk and hem,
To clear a way for words, and utter them:
His gloves beside him on the pulpit lie,
His two broad hands to heav'n are lifted high;
With eye-lids shut he groans, for, closely pent,
The murm'ring spirit struggles for a vent;
At length a voice breaks out beneath his hat,
Another, and another after that:
But fair and soft, with frequent pauses mixt,
And many a sigh, and many a groan betwixt;
Till by degrees he fans, with zealot ire,
The dormant coals of puritanic fire;
Anon, he starts, he bounds, on tip-toe stands,
Roars with his voice, and hammers with his hands;
The strength of lungs he tries, he pants, he blows,
And down his cheeks the sweat profusely flows:
To ev'ry soul he threatens instant doom,
And a fanatic tempest shakes the room.

So rising Boreas first, with lenient breeze,
Fans the light leaves, and murmurs through the trees,
His cheeks inflated soon a tempest blow,
Shake their full tops above, their trunks below:
His gathering strength a dreary ruin spreads,
And stubborn oaks bend low their hoary heads:
His boist'rous blasts the beauteous grove deform,
And dire destruction waits upon the storm.

IN POSTHUMAM EFFIGIEM

IOANNIS FERMOR, ARM.

AD PRÆCEPTA DOM. HENRICI FERMOR, BARONETTI, SUMMA CUM FIDE DELINEATAM.

DEFUNCTI effigiem fratris mandare tabellæ
  Frater, et in vitam vult revocare novam.
Sed quænam absentes vultus describet arundo?
  Quis referet succis ora sepulta labor?
Hæc ora, hos vultus memori sub pectore frater,
  (Sume, Opifex, calamum) quos tibi dictet, habet.

Dictanti attentus pictor, peramabile transfert
  Paulatim, ex animo præcipientis, opus.
Jam propior simili propiorque alludere formæ
  Incipit, et jussas exprimit umbra notas;
Jam noti arrident vultus, et frontis apertæ
  Candida simplicitas, et generosa fides:
Jam coram, et præsens, ipsissima vivit imago;
  Oh! quantum pietas ingeniosa potest!
Noli ultra sævos, Mors O, jactare triumphos!
  Cætera qui vincit, te quoque vincit Amor.

NOVARCA.

PACIS amans Carolus Regale excudit in auro
  Votum, quam populi sit sibi chara salus.
Omnia concordi spondet felicia regno,
  Unitæ ut crescant, et geminentur opes.
Frustra! inimica piis obstat discordia votis,
  Irarum et multæ cladis iniqua parens;
Informis, pauper, lamellaque ahenea, rerum,
  Indicat, ut facies mœsta sit, ut sit inops.

Pro Caroli titulis, pro vultu et imagine sacra,
  Unica stat mœstis nuda Novarca notis.
Fatale exemplum! Caroli quod vota docere,
  Anglia quod nequiit salva, Novarca, doces.

AD HEEMSKIRKUM.

FESTIVI ingenii multique, Heemskirke, leporis!
Pictorum princeps Batavorum! ut teque tuosque
Mirari juvat, et risu laudare labores!
Tu modo, tu veniam conanti indulseris æquam,
Binas e multis, si fors imitamine possit,
Transferre in chartam tentat mea musa tabellas.
  Prima casam agrestem, fixumque in pariete carmen
Describit, solidosque duos et quatuor asses,
Hesterni pretium potus. Hic civis obesus
Spectatur Belga, a lepido cui vertice nutat
Pileus in lævam suspensus, et amphora totum
Ostendit nudata sinum ventremque capacem.
Obtutu stupet ille inhians, vultuque fatente

Mœrorem, aut quasset caput, aut quassare videtur :
Frustra inhiat, frustra solitos desiderat haustus !
Horrendum vacuum, atque ingens est intus inane.
Stat bonus a socii tergo compotor, et imum
Vas caute explorat, tetroque inamabilis ore
Et vacuam deflet testam, vacuamque crumenam.
Scamno interposito binos habet altera nautas,
Pictis conantes chartis quid possit uterque.
Cernere depositum est utriusque in pignora nummos,
Vincenti pretium palmæ : duadem alter, et alter
Fatalem ostendit triadem, palmamque requirit.
Ille indignatur vinci, morsuque labella
Compressans, horretque comis, mensæque ferocem
Impingit pugnum, damnans chartasque deosque.
Improbus interea victor subridet ineptum,
Et miserum illudit victum, fruiturque triumpho.
Innixus cubito, juxta caput interponit
Naris homo emunctæ, bene qui totam subolet rem,
Fortunæ calletque vices, vultuque loquaci
Sic tristem hortatur socium; Quando, inquit, amice,
Sese ita res habeat, frustra emendare querendo
Fortunam speras, inimicaque fata lacessis :
Ira nocet nimiique animi, namque acrius æquo
Adversam fortunam urges, nimioque furore
Spem luges deceptam : at tu, me judice, rebus
Nec dubiis diffide nimis, nec crede secundis.

HOBSONI LEX.

COMPLURES (ita, Granta, refers) Hobsonus alebat
  In stabulo longo, quos locitaret, equos;
Hac lege, ut foribus staret qui proximus, ille
  Susciperet primas, solus et ille, vices.
Aut hunc, aut nullum—sua pars sit cuique laboris;
  Aut hunc, aut nullum—sit sua cuique quies.
Conditio obtinuit, nulli violanda togato;
  Proximus hic foribus, proximus esto viæ.
Optio tam prudens cur non huc usque retenta est?
  Tam bona cur unquam lex abolenda fuit?
Hobsoni veterem normam revocare memento;
  Tuque iterum Hobsoni, Granta, videbis equos.

EQUES ACADEMICUS.

CALCARI instruitur juvenis; geminove vel uno,
  Haud multum, aut ocreis cujus, et unde, refert:
Fors fortasse suo, fortasse aliunde, flagello;
  Quantulacunque sui, pars tamen ipse sui.
Sic rite armatus, quinis (et forte minoris)
  Conductum solidis scandere gestit equum.
Lætus et impavidus, qua fert fortuna (volantem
  Cernite) quadrupedem pungit, et urget iter.
Admisso cursu, per rura, per oppida, fertur:
  Adlatrant catuli, multaque ridet anus.
Jamque ferox plagis, erecta ad verbera dextra,
  Calce cruentato lassat utrumque latus.
Impete sed tanto vixdum confecerit ille
  Millia propositæ sexve, novemve, viæ;
Viribus absumptis, fessusque labore, caballus
  Sternit in immundum seque equitemque lutum.
Vectus iter peraget curru plaustrove viator?
  Proh pudor et facinus! cogitur ire pedes.
Si, nec inexpertum, seniorem junior audis,
  Quæ sint exiguæ commoda disce moræ.
Quam tibi præcipio, brevis est sed regula certa:
  Ocyus ut possis pergere, lentus eas.

THRAX.

THREICIUM infantem, cum lucem intravit et auras,
Fletibus excepit mœstus uterque parens.
Threicium infantem, cum luce exivit et auris,
Extulit ad funus lætus uterque parens.
Interea, tu, Roma, et tu tibi, Græcia, plaudens,
Dicitis, Hæc vera est Thraïca barbaries.
Lætitiæ causam, causamque exquirite luctus;
Vosque est quod doceat Thraïca barbaries.

IN EFFIGIEM DOMINÆ

CATHARINÆ HYDE.

KNELLERI egregios vidit Cytherea [a] labores,
Nympharum varios habitus, vultusque venustos,
Quis frontis divinus honos, quæ gratia cuique
Dissimilis, formæque suæ bene conscia diva,
Sic [b] ego (monstravitque manu) sic ora ferebam,
Inquit, in Idæo referens certamine pomum.
Me [c] mihi, si memini, talem pellucidus amnis,
Me talem exhibuit speculum. Sic me [d] quoque pulchram,
Nativo exortam fluctu cum pinxit, et udos
Siccantem in ripa crines, descripsit Apelles;
Sic nivea ornârunt fusi mea colla capilli.
Ploravi [e] viduata meum sic, inquit, Adonin,
Et tales gessi vultus mœrore decoros.
At cum conspexit [f] Miram, cui dulcis in ore
Majestas, blandisque nitor suffusus ocellis,
Constitit, obtutuque hærens, Formosior inquit,
Aut hæc est nobis, aut nos male pinxit Apelles.

---

[a] Intellige imagines quasdam a G. Kneller, Bar. depictas.
[b] Hon. Dom. Sherrard. [c] Comitissam de Sunderland.
[d] Com. de Ranelagh. [e] Com. de Salisbury.
[f] Dom. Cath. Hyde.

LACRYMÆ PICTORIS.

INFANTEM audivit puerum, sua gaudia, Apelles
  Intempestivo fato obiisse diem.
Ille, licet tristi perculsus imagine mortis,
  Proferri in medium corpus inane jubet.
Et calamum, et succos poscens, Hos accipe luctus,
  Mœrorem hunc, dixit, nate, parentis habe.
Dixit; et, ut clausit, clausos depinxit ocellos;
  Officio pariter fidus utrique pater.
Frontemque, et crines, nec adhuc pallentia formans
  Oscula, adumbravit lugubre pictor opus.
Perge, parens, mœrendo tuos expendere luctus;
  Nondum opus absolvit triste suprema manus.
Vidit adhuc molles genitor super oscula risus;
  Vidit adhuc veneres irrubuisse genis:
Et teneras raptim veneres, blandosque lepores,
  Et tacitos risus transtulit in tabulam.
Pingendo desiste tuum signare dolorem;
  Filioli longum vivet imago tui:
Vivet, et æterna vives tu laude; nec arte
  Vincendus pictor, nec pietate pater.

PIETAS RUBECULÆ.

QUÆ tibi regalis dederant diadematis aurum,
  Dant et funereum fana, MARIA, tholum.
Quisque suis vicibus, mœsto stant ordine flentes;
  Oreque velato fœmina triste silet.
Parva avis interea, residens in vertice summo,
  Emittit tremula lugubre voce melos.
Vespera nec claudit, nec lucem Aurora recludit,
  Quin eadem repetat funebre carmen avis.
Tale nihil dederint vel mausolea; MARIÆ
  Hæc pietas soli debita vera fuit.
Venales lacrymæ, jussique facessite fletus;
  Sumptibus hic nullis luctus emendus erat.

VERULAMIUM.

QUA juxta Albani divique et martyris ædes
  Humphredo servat de duce quod superest;
Urbs stabat, quondam insignis; nunc arva segesque,
  Abdita nunc ipso, mersa, sepulta solo.
Quo jam murorum turrita superbia cessit!
  Quid sibi jam reliquum, quid nisi nomen, habet!
Nil nisi nomen habet—sed et omni illustrius urbe,
  Nullaque quo major gloria, nomen habet.
Restat adhuc, restabit adhuc per sæcula longa,
  Nomine Baconi nobilitata sui:
Quæ, cum desierit Verulamius ille vocari,
  Nil nisi nunc nomen, tunc neque nomen erit.

AD

RICHARDUM LAMB,

NEC S.T.P. NEC MD. NEC LL.D. NEQUE DOCTOREM IN MUSICA;

SED, EX USU UT CONSTAT VULGATO, DOCTOREM:

EPISTOLA FAMILIARIS.

QUI doctis aliquot studiis impenderit annos,
  Hunc Granta exornat, vel Rhedycina, gradu.
Quisquis et egregiam meditando invenerit artem,
  Ille sit, (et fas est) doctor in arte sua.
Hoc tibi debetur; quanquam nihil addere famæ
  Nomina vel possunt magna, gradusve, tuæ.
Hoc tibi debetur; quod te nec doctior alter
  Ungues vel manuum, vel resecare pedum.
Nec magis est præsens opifer, cum Cynthia crescat;
  Et, cum decrescat Cynthia, nemo magis.
Ne manus armetur rabie, tua maxima cura est;
  Longus, quod rabiem colligat, unguis habet:
Proxima, mundities; ut sint sine sordibus ungues;
  Longus, quod sordes contrahat, unguis alit.

Pulchra (quod adde) manus citharam decorabit eburnam;
Nec tenuem interdum dedecorabit acum.
Sive quid excrescat pedibus, pluviam unde futuram,
Unde vices cœli præscia discit anus;
Seu durum excruciet tuber, seu mollius urat,
Dat tuus extemplo culter amicus opem.
Saltibus hinc habiles matronæ, habilesque puellæ;
Cum poscant larvis tempora, cumque choros.
Doctor ab his ideo vocitare, et doctor ab illis:
Moribus id, studiis, ingenioque datur.
Sin meritis Rhedycina tuis, sin invida Granta
Hunc titulum juris dixerit esse sui;
Si tua noluerint augeri nomina binis
Saltem literulis, literulisve tribus;
Augeri nequeunt: nam te tua fama sequetur;
Qui (quod nulla vetet lex) OPERATOR eris.

RECONCILIATRIX.

CRESCENTES laudes natura inviderat arti,
  Et sibi rivalem nescia ferre parem;
Divinam effinxit nympham, et formam addidit ori,
  Cui Cypriæ posset cedere forma deæ.
Hanc videt ars, vincique dolet; doctosque resumens
  Knelleri calamos, æmula tentat opus:
Depingit suavesque genas, mollesque capillos,
  Et colla intacta candidiora nive.
Virginei rubor idem, eademque est gratia vultus:
  Et similis roseo spirat in ore decor.
Hinc nec certamen vult illa iterare, vel illa:
  Contenta et felix utraque laude sua.
Gloria naturæ atque artis, componere tantas
  Quæ potuit lites unica, Mira * fuit.

---

* Vide pag. 145.

ODE

GULIELMI SHAKESPEAR,

VERSIONE LATINA DONATA.

VIX matutinum ebiberat de gramine rorem
  Umbrosa invitans Phœbus ad antra boves,
Cum secum placidi Cytherea ad fluminis undas,
  Adventum expectans sedit, Adoni, tuum.
Sub salicis sedit ramis, ubi sæpe solebat
  Procumbens fastum deposuisse puer.
Æstus erat gravis ; at gravior sub pectore divæ
  Qui fuit, et longe sævior, æstus erat.
Mox puer advenit, posuitque a corpore vestem,
  Tam prope vix Venerem delituisse ratus :
Utque deam vidit recubantem in margine ripæ,
  ~~Attonitus mediis insiliebat aquis.~~
Crudelem decepta dolum, fraudemque superbam
  Ut videt, his mœstis ingemit illa modis :
Cur, ex æquoreæ spuma cum nascerer undæ,
  Non ipsa, O inquit, Jupiter ! unda fui !

SCHOLA RHETORICES.

LONDINI ad pontem, Billingi nomine, porta est,
  Unde ferunt virides ostrea Nereïdes.
Hic sibi perpetuam legit facundia sedem;
  Nec modus hic verbis, neve figura deest.
Sermonem densis oratrix floribus ornat,
  Et fundit varios, ingeminatque, tropos.
Et nervi, et veneres, et vis, et copia fandi
  Insunt; et justum singula pondus habent.
O sedes, totidem multum celebrata per annos!
  Omne tibi rostrum cedit, et omne forum.
Utraque, quos malit, titulos Academia jactet:
  At tibi Linguarum Janua nomen erit.

CANIS ET ECHO.

Puris in cœlo radiis argentea luna
  In Thamisis tremula luce refulsit aquis.
Improbus hoc vidit catulus, ringensque malignum
  Solvit in indignos ora proterva modos:
Lunamque in cœlo, lunamque aggressus in undis,
  In sidus pariter sævus utrumque furit.
Sub ripis latuit fors ulterioribus Echo,
  Audiit, et vanas ludicra nympha minas:
Audiit; et rabie rabiem lepidissima vindex
  Ulcisci statuit, parque referre pari.
Ille repercussæ deceptus imagine vocis,
  Irarum impatiens jam magis, atque magis.
Reddere latratus pergit latratibus Echo;
  Quemque canis statuit, servat imago modum.
Tandem ubi lassatæ fauces, et spiritus, et vox;
  Defervet rabies tota, siletque canis.
Et poterat siluisse prius; furor omnis ineptus,
  Omnisque in sese futilis ira redit.

CRURA ADSCITITIA.

HANC puer (et pueri mentem quoque gloria tangit)
  Artem habet, ut sese tollere possit humo :
Selecta ex baculis duo ligna abiegna requirit,
  Quatuor ad spatium plusve minusve pedum.
His etiam, ut melius vestigia firmet, equino
  De corio affigit fortia lora duo.
Quæ postquam clavis supra devinxit et infra,
  Ipse suum scandit, quod fabricavit, opus ;
Cautoque incedit, prima ad tentamina, gressu,
  Et nova cum multo crura tremore movet.
Mox ubi se didicit libramine pendere justo,
  Hinc inde intrepidos fertque refertque gradus.
Saxa per et plateas largis vult passibus ire ;
  Qua via per medium, qua via nulla, lutum.
Cum subito (audentes fortuna nec usque juvabit
  Prospera) in immundam præcipitatur humum.
Quid faciat patris metuens, metuensque magistri !
  Quo fugiat tunicas squalidus, ora, manus !
Quin iterum ascendat, magnis licet excidat ausis ;
  Si male nunc fuerit, non male semper erit.
Altius in cœlum valido pila surgit ab ictu ;
  Gaudet et a plagis ocyus ire trochus.
In geminis didicit quicunque incedere lignis,
  Cruribus hic poterit tutius ire suis.

IN FENESTRAM SEPTENTRIONALEM

FANI WESTMONASTERIENSIS.

"—RENASCENTUR, QUÆ JAM CECIDERE."

ANTIQUAM Petri quæ pulchre illuminat ædem,
  Artificem agnoscit picta fenestra manum.
Circulus illustris summa splendescit in ora,
  Divus Apostolici, cum Duce, quisque Chori.
Cœlestes intus facies, vultusque videntur
  Aligeri: in medio biblia sacra patent.
Quam bene miscentur, sua per loca quisque, colores!
  Quam bene cœruleum, purpureumque decus!
Quam lumen solenne, et quam venerabilis umbra!
  Spectantem ut recreat lumen! ut umbra juvat!
Quæ pæne interiit longos pictura per annos,
  Illuxit bibulo jam rediviva vitro:
Jamque recens iterum, jam nostra ætate revixit
  Clarius, antiquæ laudis et artis opus.

ALEXANDER ET XERXES.

FLET Macedo, sibi totum ubi debellaverat orbem,
Indignans armis nil superesse suis :
Flet Xerxes, quod nemo suis de millibus, ætas
Proxima cum veniet, nemo superstes erit.
Nolo tuas, Macedo, lacrymas : ego laudo dolorem
Humanum ; et tecum, Persa, dolere volo.

VICTORIA FORENSIS.

CAIO cum Titio lis et vexatio longa
Sunt de vicini proprietate soli.
Protinus ingentes animos in jurgia sumunt
Utraque vincendi pars studiosa nimis.
Lis tumet in schedulas, et jam verbosior, et jam :
Nec verbum quodvis asse minoris emunt.
Prætereunt menses, et terminus alter et alter ;
Quisque novos sumptus, alter et alter, habent.
Ille querens, hic respondens pendente vocatur
Lite ; sed, ad finem litis, uterque querens.

CERTAMEN MUSICUM.

OCTO trans Thamisin campanis Diva Maria,
  Cis Thamisin bis sex Diva Brigetta sonat.
Hæc tenues urget modulos properantius ædes,
  Alternat grandes lentius illa modos.
Nec quis in alterutro distinguat littore judex,
  An magis hæc aurem captet, an illa magis.
Tantæ est harmoniæ contentio musica; turris
  Altera cum numeros, altera pondus habet.

PYRAMIS.

PYRAMIDUM sumptus, ad cœlum et sidera ducti,
  Quid dignum tanta mole, quid intus habent?
Ah! nihil intus habent, nisi nigrum informe cadaver,
  Durata in saxum est cui medicata caro.
Ergone porrigitur monumentum in jugera tota!
  Ergo tot annorum, tot manuumque labor!
Integra sit morum tibi vita; hæc pyramis esto:
  Et poterunt tumûlo sex satis esse pedes.

STRADÆ PHILOMELA.

PASTOREM audivit calamis Philomela canentem,
Et voluit tenues ipsa referre modos;
Ipsa retentavit numeros, didicitque retentans
Argutum fida reddere voce melos.
Pastor inassuetùs rivalem ferre, misellam
Grandius ad carmen provocat, urget avem.
Tuque etiam in modulos surgis, Philomela; sed impar
Viribus, heu impar, exanimisque cadis.
Durum certamen! tristis victoria! cantum
Maluerit pastor non superâsse tuum.

THESTYLIS COQUA.

ALLIA, serpyllum, rutamque et sectile porrum
Thestylis, et panis frustula dura coquit.
Jusculaque ut gustu capiant meliore palatum,
Immittit salsæ pinguia terga suis.

Rusticus hinc stomachum lenitque, et recreat artus;
Hinc corde exultat messor, et ore nitet.
O labor! O sudor! dulcis conditor uterque!
Egregiam facitis Thestylin esse coquam.

ROSA: AD STELLAM.

Deliciæ juvenum, nympharum hodierna voluptas,
Ecce ea, quo rubeat, Stella, rubore Rosa!
Stella, vide quantum foliis suffundat honorem!
Explicet ad solem purpura quale decus!
Cras, Stella, exemplum pulchris lacrymabile, eandem
Arentem, laceram, pallidulamque vide.
Stella, Rosæ miserere; et dum miserere, memento,
Quod brevis est ævi, quod tua forma Rosa est.

CANTATRICES.

QUA septem vicos conterminat una columna,
Consistunt nymphæ Sirenum ex agmine binæ;
Stramineum capiti tegimen, collumque per omne
Ingentes electri orbes: utrique pependit
Crustato vestis cæno, limoque rigescens
Crure usque a medio calcem defluxit ad imum.
Exiguam secum pendentem ex ubere natam
Altera; venales dextra tulit altera chartas.
His vix dispositis, pueri innuptæque puellæ
Accurrunt: sutor primus, cui lorea vitta
Impediit crines, humili, quæ proxima stabat,
Proruit e cella, chartas, si forte placerent,
Empturus; namque ille etiam se carmine multo
Oblectat, longos solus quo rite labores
Diminuit, fallitque hybernæ tædia noctis.
Collecti murmur sensim increbrescere vulgi
Audit, et excurrit nudis ancilla lacertis.
Incudem follesque et opus fabrile relinquens,
Se densæ immiscet plebi niger ora Pyracmon.
It juxta, depressum ingens cui mantica tergum
Incurvat, tardo passu; simul ille coronam
Aspectat vulgi, spe carminis arrigit aures;

Statque moræ patiens, humeris nec pondera sentit.
Sic ubi Tartareum Regem Rhodopeïus Orpheus
Threiciis studuit fidibus mulcere, laboris
Immemor, Æolides stupuit modulamina plectri,
Nec sensit funesti onera incumbentia saxi.
Sæpe interventus rhedæ crepitantis, ab illo
Vicorum, aut illo, stipantem hinc inde catervam
Dividit; at rursus coëunt, ubi transiit illa,
Ut coëunt rursus, puppis quas dividit, undæ.
Canticulæ interea narraverat argumentum
Altera Sirenum, infidi perjuria nautæ,
Deceptamque dolo nympham; tum flebile carmen
Flebilibus movit numeris, quos altera versu
Alterno excepit: patulis stant rictibus omnes:
Dextram ille acclinat, lævam ille attentius aurem,
Promissum carmen captare paratus hiatu.
Longa referre mora est, animum qua vicerit arte
Virgineum juvenis. Jam poscunt undique chartas
Protensæ em: torum dextræ, quas illa vel illa
Distribuit, cantatque simul: neque ferreus iste
Est usquam auditor, dulcis cui lene camæna
Non adhibet tormentum, et furtivum elicit assem.
Stat medios inter baculoque innititur Irus;
Nec tamen hic loculo parcit, sed prodigus æris
Emptor adest, solvit pretium, carmenque requirit.
Fors juxta adstabat vetula iracundior æquo;
Quæ loculo ex imo invitum, longumque latentem
Depromens vix tandem obolum, Cedo, fœmina, char-
tam,

Inquit; ut æternum monumentum in pariete figam,
Cum laribus mansurum ipsis, quam credula nymphis
Pectora sint; fraudis quam plena, et perfida nautis.

AD

GULIELMUM HOGARTH,

ΠΑΡΑΙΝΕΤΙΚΟ´Ν.

QUI mores hominum improbos, ineptos,
Incidis, nec ineleganter, æri,
Derisor lepidus, sed et severus,
Corrector gravis, at nec invenustus;
Seu pingis meretricios amores,
Et scenas miseræ vicesque vitæ;
Ut tentat pretio rudem puellam
Corruptrix anus, impudens, obesa;
Ut se vix reprimit libidinosus
Scortator, veneri paratus omni;

Seu describere vis facete censor,
Bacchanalia sera protrahentes
Ad confinia crastinæ diei,
Fractos cum cyathis tubos, matellam
Non plenam modo sed su, erfluentem,
Et fortem validumque combibonem
Lætantem super amphora repleta;
Jucundissimus omnium fereris,
Nullique artificum secundus, ætas
Quos præsens dedit, aut dabit futura.
Macte O, eja age, macte sis amicus
Virtuti: vitiique quod notâris,
Pergas pingere, et exhibere coram.
Censura utilior tua æquiorque
Omni vel satirarum acerbitate,
Omni vel rigidissimo cachinno.

PLUS SCIRE OPORTET, QUAM LOQUI.

QUÆ gravitas oculis! et quæ constantia fronti!
Sobrius ut toto pectore bubo sapit!
Ales Pythagora dignus, dignusque Minerva!
Sermonis parcus, consiliique tenax!
Oh habitet tecum, bubo, et sit pectore in isto,
Quicquid habes: quoties effluet, omen erit.

NON ES QUOD SIMULAS.

ANTE focum nutatque et lumina claudit herilem,
Et stupida, et vultu seria, felis anus:
Nil ea lascivi saltus meminisse videtur;
Lusus, si spectes, nil juvenilis habet;
Sed grave, sed prudens quamvis, castumque tuetur,
Caudam, cum tempus fert, agitare potest.

OCEANUS PRÆDATOR ET RESTITUTOR.

ABLUIT Oceanus terras hinc inde jacentes;
Excavat et ripas, subtus edendo, salum.
At neque contrahitur tellus subducta rapinis,
At neque fit furtis auctior unda suis.
Nam parte ex alia desertam extendit arenam
Littus, et e mediis insula crescit aquis.
Nil prodest lucrum, cui damna æqualia: fines
Oceanus mutat, sed superare nequit.

PARENTIS SOLICITUDO.

PLUMASQUE, et pilos, et muscum hinc colligit illinc,
Fœtibus ut nidum sedula sternat avis:
Quos ubi surreptos cavea suspendit arator,
Hic quoque captivos provida mater alit.
Si muscam, si vermem affert, vel forte cicadam,
Totus hiat nidus, conqueriturque famem.
Infelix in utroque parens! labor est peperisse,
Et labor est pullos non peperisse sibi.

MANUALE TYPOGRAPHIA OMNI ANTIQUIUS,

NULLI USPIAM LIBRORUM INSERTUM CATALOGO.

EXIGUUS liber est, muliebri creber in usu,
Per se qui dici Bibliotheca potest.
Copia verborum non est, sed copia rerum;
Copia (quod nemo deneget) utilior.

Rubris consuitur pannis; fors texitur auro;
  Bis sexta ad summum pagina claudit opus.
Nil habet a tergo titulive aut nominis; intus
  Thesauros artis servat, et intus opes:
Intus opes, quas nympha sinu pulcherrima gestet,
  Quas nive candidior tractet ametque manus.
Quando instrumentum præsens sibi postulat usus,
  Majusve, aut, operis pro ratione, minus.
Et genere et modulo diversa habet arma, gradatim
  Digesta, ad numeros attenuata suos:
Primum Enchiridii folium majuscula profert,
  Qualia, quæ blæso est lumine, poscat anus.
Quod sequitur folium, matronis arma ministrat,
  Dicere quæ magnis proximiora licet.
Tertium, item quartum, quintumque minuscula supplet,
  Sed non ejusdem singula quæque loci.
Disposita ordinibus certis, discrimina servant;
  Quæ sibi conveniant, seligat unde nurus.
Ultima quæ restant, quæ multa minutula nympha
  Dicit, sunt sexti divitiæ folii.
Quantillo in spatio doctrina O! quanta latescit!
  Quam tamen obscuram vix brevitate voces.
Non est interpres, non commentarius ullus,
  Aut index; tam sunt omnia perspicua.
Ætatem ad quamvis, ad captum ita fingitur omnem,
  Ut nihil auxilii postulet inde liber.
Millia librorum numerat perplura; nec ullum
  Bodleii huic jactat Bibliotheca parem.

Millia Cæsareo numerat quoque munere Granta,
 Hæc tamen est inter millia tale nihil.
Non est, non istis Auctor de millibus unus,
 Cui tanta ingenii vis, vel acumen inest,

EXISTENTIA ENTIUM INCORPOREORUM COLLIGI POTEST LUMINE NATURÆ.

OMNIA mortali demens sapientia credit
Semine concreta, et cæco jactata tumultu
Principia innumeras rerum procudere formas:
Hinc animam fingit nascentibus insinuatam
Corporeas servare vices, unaque vigere
Cum membris, una languentem flere vigorem,
Atque brevis pariter spatium decurrere vitæ,
Et simul in cineres primævaque semina solvi.
 Hos ludos, Epicure, atque hæc insomnia ridet
Inventrix veri ratio, sedesque futuras
Monstrat, perpetuamque animæ post funera vitam.
 Nam si corporeæ pereunt cum corpore mentes,
Unde est, quod cæco resoluti carcere manes

Aërias sumunt formas, et tenuia membra,
Et similes referunt vultus, notasque figuras?
Quanquam etenim ridenda putem, quæ somnia cunque,
Credula narrat anus tremulos ad lampadis ignes,
Cum noctes produxit hyems, puerique trementes
Informes metuunt umbras, simulataque monstra,
Et latos rictus oculosque immane micantes;
Sæpe tamen simulacra modis pallentia miris
Impositi frustra claustra effregisse sepulchri
Certa fides, resque ipsa probat, cogitque fateri.
Vera cruentatos violati Cæsaris umbra
Ostendit trepido vultus, frontemque minacem,
Fatalesque tibi promisit, Brute, Philippos.
Præterea, defessa gravi cum corpora somno
Languescunt, oculosque ligârunt mollia vincla,
Evigilant ignes animi, variæque recursant
Errantes species, et mens sine pondere ludit.
Causidicus renovat jurgantis prœlia linguæ,
Milesque occisos iterata interficit ira:
Et quos accendit vigilanti Phyllis amores,
In somnis Corydon suspirans nutrit amores;
Sideribusque pares oculos, frontisque politum
Marmor, purpureisque rosis immista genarum
Lilia miratur, mentitaque basia libat,
Basia, quæ negat ipsa, ultro dat blandior umbra.
Ergo incorpoream mentem fateare necesse est,
Quæ varias rerum sopito corpore formas
Pingit, divitiisque suis animosa superbit.

Quinetiam, nec causa sui, nec conscia, motus
Materies fertur, quam si vis nulla cieret,
Staret, perpetuoque ignava quiesceret ævo.
Hinc igitur mentis vires, hinc igneus ardor
Fluxere? et variis corpuscula percita plagis
Eliciunt sensum, veluti latitantia produnt
Collisi silices inclusæ semina flammæ?
Hinc ratio fluxit? celeri quæ concita cursu
Pervolitat superi flammantia mœnia cœli,
Et quæ cæruleo mersit natura profundo
Cernit, et immensi pandit penetralia mundi?
Non adeo rapidis venti vis evolat alis:
Non adeo celeri conspergit lumine terras
Exoriens deus auricomus, cum nocte fugata
Egit equos volucres, radiantemque ignibus axem.

Cantabrigiæ, in Magnis Comitiis, 1714.

RATIONES BONI ET MALI SUNT ÆTERNÆ ET IMMUTABILES.

TU, quicunque simul confundis fasque nefasque,
Virtutemque nihil censes, nisi nomen inane,
Ni contra leges et consuetudo valerent:
Si quis forte tibi, pleno cum sol nitet orbe,
Jamque dies medius cœlo spectabilis alto est,
Esse diem medium, solemque nitere negaret;
Nonne hominem egregie demirareris ineptum,
Ut mentis prorsus vacuum, vacuumve pudoris?
Tu tamen et vitii, fortis patronus et acer,
Causam agis? et sanum credis te, animoque valentem?
Credideris licet, atque deos jures licet omnes;
Non tamen efficies, quin te vicinia tota
Vitet, uti medicis caput insanabile centum.
Aurea cum primis acta est mortalibus ætas,
Necdum Astræa hominum commercia fugerat insons,
Quisque fidem coluit, manibusque et pectore purus
Traduxit vacuam scelere et formidine vitam.
Non quia lictoris virgas sævamque securim
Sanguinei extimuit; sed nondum exempla parentum

Exciderant animo, nec longe a fonte remotus,
Cœnosas haurire infelix cœperat undas.
At simul ejecto vitia irrupere pudore,
Disrupto rapidus veluti solet obice torrens;
Condere tum leges, si quos reverentia divûm
Movit adhuc, cœpere, fides ne, sacraque jura,
Ipsaque virtutis penitus monumenta perirent.
Quod si non aliqua, ut misere contendis, inesset
Vis nativa Bono, quæ lege antiquior omni,
Cur non, cum in vitium proni rapiamur, honestis
Postpositisque bonis, inhonesta et prava jubentur?
Scilicet æterna est virtus, quæ, Regule, visa est,
Tam formosa tibi: certe dea, Regule, visa est,
Ausus eras præ qua lacrymantes rejicere a te
Uxorem, natosque tuos, certusque redire,
Pœnorum rabiem atque ultricem temnere mortem.
Ergo etiam seri, post tot quoque sæcla, nepotes
Divinum exemplar tacito venerantur honore.
At, lucis metuens, tenebras, et noctis opacæ
Tegmen amat vitium; sed nec densissima noctis
Umbra valet miserum a seipso celare nocentem.
Intus agit stimulos mens conscia seque flagello
Insequitur cæco, tortore ferocior omni.
Nec quenquam ergo adeo rationis egere putarem,
Qui, si, quod turpi satagit conquirere fraude,
Lucrari illud idem posset sine fraude, negaret;
Et voti nollet fieri, nisi crimine, compos.
Jam, sibi qui ignoscit propriis vitiis satis æquus,
Censorem mendosus agit; desævit et ipse,
Censura dignum si quidquam admiserit alter.

Rusticus olim adiit consultum juris, ut aiunt,
Percontaturus quid lex sentiret in hac re:
Bos vicini, inquit, sepem perrupit, agelli
Tutelam nostri, et viridem pede pressit aristam,—
Pressit aristam, ais? et sepem perrupit? abi'o
Securus; causa vinces: mî crede resartum
Hoc tibi prægrandi præsto cum fœnore damnum.
Rusticus hic,—satis est: bos nam tuus—imo, ait alter,
Si meus, est longe res jam diversa profecto.
Quam ridenda tuos bene pingit fabula mores!
Qui, si de propriis perdas quid vive dolòve,
Protinus exclamas, et juras, ut tuus est mos,
Nil superi curant mortalia? fulmina cessant
Cur tam formidata, et vindex flamma Tonantis?
Jam virtus non umbra tibi est, jam fasque nefasque
Sunt aliqnid; cœlesti agnoscis origine nata.
At violata fides si te ditaverit auro,
Tum superûmque minas et bruta tonitrua spernis,
Sub pedibusque jacent leges, et vincula sacra.
Nequicquam; namque haud virtus mutabilis auræ
Arbitrio popularis, honore orbabitur æquo;
Ante etenim versus cedet color ater in album,
Ante diem Luna efficiet, Phœbusque tenebras,
Quam diva exciderit solio, quo fixa per omne
Perstitit, et perstabit in omne immobilis ævum.

Cantabrigiæ, in Comitiis prioribus, 1706—7.

LOCKIUS NON RECTE STATUIT DE PARTICULA ANGLICANA *BUT.*

NON mea victrices lauros, insignia belli,
Musa, nec optatæ ramos prætendit olivæ;
Grammaticas ambire tribus et pulpita cogor,
Ludere particulis, et nugis addere pondus,
Orbiliique iterum pendere loquentis ab ore,
Discipulorumque inter paulum habitare cathedras.
Verborum miseros dum deploravit abusus
Lockius, amissas veneres, artemque loquendi
Corruptam, tantæque ultro medicamina pesti
Attulit: imprudens impune evadere sivit
Particulam hanc, dirasque in vulgum spargere strages.
Dulcia quid memorem convivia mixta tumultu,
Extinctosque ignes, violataque fœdera amoris?
Non centum linguis mendacia plura vel ipsa
Fama refert, leni quam hæc syllaba sæpe susurro.
Nimirum hoc telum est, quo facta insignia livor,
Quæsitumque decus meritis, et digna trophæa
Impetit; abrumpens sermonem, dum premit intus
Relliquias odii, taciteque loquacia verba.

Zoilus aspexit si forte poëmata Garthî,
O quantum ingenium! exclamat; *Sed* dicitur ille—
Quam sæpe innuptæ ludunt hac voce puellæ!
Quamque pia insidias gaudens prætexere lingua,
Cœlia præfatur!—Mihi non infamia curæ est;
Mene movet, quoniam est huic major turba procorum,
Pulchrior hæc, aut est quia ditior? est honor uni-
Cuique suus: verum laudaret si quis amicæ
Fulgentes oculos, tum protinus illa; *Sed* olim—
Diceret esse probam? tum suspirabit,—At at tu
Nunquid de puero audîsti? cubito prope stantem
Tangens. Sunt etiam hæc vetulis monosyllaba cordi,
Sed mea fabellas musa indignatur aniles.

Cantabrigiæ, in Comitiis prioribus, 1717—18.

FLUXUS ET REFLUXUS MARIS PENDENT AB ACTIONIBUS SOLIS ET LUNÆ.

QUID regat alternos æstus, qua vi alta tumescant
Æquora, et elatis insurgant fluctibus undæ;
Humida quid jubeat retro sublapsa referri
Regna, cano, pelagoque volans do vela patenti.
Principio solem, et terras, præclaraque cœli
Lumina, surgentemque in menstrua cornua lunam
Vis infusa regit, coitusque immensæ cupido
Molem agit, et magno mundi se corpore miscet.
Ætheris hinc ignes labuntur, et errat in orbes
Quisque suos, Phœbi arbitrio, qui sydera certo
Circumagit gyro, sese exsors ipse movendi:
Hinc celeri circum vertigine Cynthia rapta
Volvitur, et varias splendoris lubrica formas
Induit, ora modis ostentans candida miris.
Quæ quoniam terras propius vaga lumine lustrat,
Efficit, ut cupide sursum magis omnia tendant
Surgere, dilectumque parent accedere ad orbem.
At leni imperio Phœbes parere recusant
Educti cœlo montes, nullisque trahuntur
Illecebris, solido vires dum corpore vincunt.

Mollis aquæ citius cedit natura, marisque
Agnoscit dominam; fluctus simul illa volentes
Ad sese vocat, atque imo ciet æquora fundo,
Attollens liquidam molem, camposque natantes.
Ac, velut incensa ingenti magnetis amore
Ardet acus, properatque coire, salitque, tremensque,
Nititur ad lapidis latus, et nova vincula sentit;
Haud aliter, lunæ observans iter, altius undas
Erigit, assurgitque fretis ferventibus æquor.
Nec mora, nec requies; qua se fert Cynthia, ponti
Insequitur cumulus comes una, et gibbus aquarum.
Cum primum nostro vasti regina profundi
Incumbit pelago, tumidique ad littora fluctus
Nota ruunt, parte ex alia retinacula solvit
Oceani, pontoque omnes effundit habenas;
Subsidunt humiles undæ, refugæque recumbunt.
Nec nihil interea, qui lucida tela diei
Spargit, et aspectat terras Sol arduus omnes,
Emotam turbat Tethyn, agitatque tumentem.
Cynthia cum fratris radiis obnoxia pleno
Orbe coit, seu cum præacutis cornibus ibit,
Cernere erit magno marmor trepidare tumultu:
At, si dilectæ lampas Phœbea sororis
Dimidiam partem candenti lumine tingit;
Paulatim sese tollens, mare tardius æstum
Provolvet segnem: sin jam pervenit uterque,
Qua Libra æquato discrimine dividit orbem,
Continuo ad cœlum convexo gurgite fertur
Ardua congeries pelagi, et vada spumea crescunt

Cum sonitu ; nullo tantum se turbine Nereus
Jactat, et ipsa suas mirantur cœrula vires.
  Scilicet has leges natura, et fœdera lunæ
Imposuit, solemque dedit, qui tempore certo
Et premeret, maris et montes educeret altos.
Ni faceret, late circum se immobilis humor
Sterneret in morem stagni, obscœnæque paludis.
Jam jam nulla mora est ratibus ; nunc Angliea classis,
Aurarumque leves animas, et flamina captans,
Jura dat oceano ; littusque affectat Eoum,
Indiam in Europam portans ; nunc labitur alveo
Insolito Ganges, Thamesisque it turbidus auro.

Cantabrigiæ, in Comitiis prioribus, 1719—20.

MUNDUS NON FUIT AB ÆTERNO.

Dum patrios alii lætantur volvere fastos,
Auctoremque suæ venerandum exquirere gentis,
Nos hominum communem investigare parentem
Quid vetat, infantisque exordia pandere mundi ?

At quis tam stulte sapiens, qui finxerit orbis
Hunc faciem plusquam veterem, æternamque teneri
Fœdere materiem fatali? quando decora
Tota juventute exultat natura vigetque.
Spectemus solem; quis solis, origine nulla,
Fulgere perpetuos, ut Vestæ, dixerit ignes?
A quo prædones referunt dum furta cometæ
Ignea, diffundit radios dum prodigus ipse,
Olim deficeret lucis lux ipsa parentem:
Nec nos (ut vetus it de ranis fabula) Phœbo
Uxoris sobolisque invidissemus honorem:
Nos orbo, nos heu! quereremur cœlibe Phœbo.
Quin dum plus terris, quam redditur, exit aquarum,
Cur non Naïades siccæ? Neptunus arescit?
Cur non exussit sitientes Sirius agros,
Nec pandit tellus Erebum rimosa profundum?
Quid, cum Sol proprio remeantes orbe planetas
Attrahit, inque vicem attrahitur; si æterna fuisset
Vis utrisque olim, cur non amplexibus hærent
Marsque Venusque? ruit Saturnus cum Jove? cur non
Mundus in immanem confunditur ignis acervum?
Sed neque crediderim tibi, Luna, æterna fuisse
Cornua, qua sese jactant ætate priores
Arcades, æternos se dicere parcius ausi.
Nec tantum genti affectes ascribere honorem,
Cambro-Britanne, tuæ; satis est, quod mille virorum
Sanguine junctorum percurrere nomina possis,
Quod tibi nescio quis memoretur regulus auctor.

Nec nos (si qua fides, si qua est reverentia fastis)
Longo intervallo communi a stirpe remoti,
Stirpe sibi inflatam confessa cœlitus auram.
At quibus hæc hominum rerumque æterna figura
Creditur, in labyrinthæis ambagibus errant.
Si non, quod dicta est æterna, aliunde recepit
Materies, Deus est; Deus est, quodcunque videmus;
Nec soli Ægypto divi nascuntur in hortis.
Quod si materies divino ex numine manet,
Materiemque opus exsuperans; quæ causa, comvum
Cur Deus ultro perficeret, quem non regit, orbem?
An vero invitus? quis erat qui cogere posset?
Nempe peregit opus, nullo cogente, coactus!
Hinc sine principio mundus, sine fine movetur!
Incassum cupiunt rationem eludere verbis,
Arbitrioque negant divini numinis orbem
In nihil, e nihilo productum, posse reverti;
Instat summa dies et ineluctabile tempus,
Cernere cum fuerit confectam ætate parentem
Dejectare caput naturam, et cedere morti:
Testari ex ipso primordia fine videtur,
Et non vitalis sensim vanescere mundus.
Sic ubi perfecit divina Dædalus arte
Automaton faber, appendit cum mobile pondus,
Aptavitque rotis axes, mandata facessit
Singula pars; placido systema tenore movetur:
At cum nativa pondus libratile terras
Attigerit gravitate, retardat machina cursus,
Principiumque brevis motus confessa quiescit.
Cantabrigiæ, in Comitiis posterioribus, 1715—16.

ἙΞΑΗ´ΜΕΡΟΝ.

PRINCIPIUM rerum, cœli, terræque, marisque,
Nascentem e nihilo mundum, artificemque Jehovam,
Magnum opus, aggredior tenui celebrare camœna.
 Ante mare, et terras, superique palatia cœli,
Omnia erant tenebræ, chaos omnia; cum Deus inquit,
Fiat Lux. Verbum omnipotens nox protinus atra
Audiit, inque suas fugit tremebunda latebras;
Stipatique ignes radiantia tela diei
Misere, et risit diffuso lumine mundus.
Sic primus fulgere dies incepit, et orbem
Describens, alios latuit renovandus in ortus.
Angelicus circum plausu chorus omnis ovabat,
Cœlesti auratæ sonuerunt pollice chordæ,
Et celebrant cantus magni natalia mundi.
 Continuo tenues auras super omnia numen,
Late firmamentum ingens, expandit; ut illic
Suspensæ a terris undæ, gelidique volarent
Imbres, et gravidæ maturo fulmine nubes,
Degeneresque hominum motura tonitrua mentes:
Imperiumque dedit ventis, motusque ciere

Sanctior his, et qui dominari in cætera posset,
Tandem natus homo est; propriæque huic indidit auræ
Particulam, imperium huic ingens, sedesque beatas
Indulsit rerum Genitor, sacrosque labores
Quos jam finierat, laudans, Absolvimus, inquit,
Magnum opus: hinc, tempus, tuus hinc exordia sumat
Computus, et pulchro distinguat sæcula gyro.

AD TEMPUS.

O QUI silentem præcipitas fugam,
Cæcoque prætervolveris impetu,
Urgensque cursum, nec morari
Scis, Deus, aut potis es reverti;
Tu sede celsus dum revolubilem
Torques laborem, dura necessitas
Auriga in æternos recursus
Flectit equos volucremque currum;
Te sæculorum oblivia, te breves
Sequuntur anni, te fuga mensium

Velociorum, te dierum
Versicolor comitatur ordo;
Tecum alta Virtus laurigeram sedet
Decora frontem, et filia Veritas,
Cui vultus immortale fulgens
Purpureo radiatur igne:
Injuriosa ne citus orbita
Vertas columnam, quam tenuis labor
Struxit camœnæ; parce curru,
Parce gravi metuende falce.
Et tu superbo vertice flammeas
Surgens in arces, mille sonantibus
Accincta pennis, et parentis
Antevolans rapidos jugales,
Duc, Fama, puri per spatia ætheris,
Duc me insolenti tramite; devius
Tentabo inaccessos profanis
Invidiæ pedibus recessus.
Quid mente vanus concipis æthera?
Quo vota fundis, quidlibet impotens
Sperare? proh fallax voluptas!
Heu! sine diis animose vates!
Te surda præterlabitur orbita,
Avertit alas fama, supervenit
Nox atra caligante vultu, et
Nube sedens taciturnus horror.
Sic flexuosi margine fluminis
Cycnus recumbit carmina dividens;
Mox fata, nil mollita cantu,
Ora premunt liquidamque vocem.

MOLA JUVENTUTIS RESTAURATRIX.

Medea, effœti revocaret ut Æsonis annos,
  Diversam herbarum mille poposcit opem;
Carminaque et magicas artes, succosque potentes,
  Quosve venenorum Thessala terra parens;
Quos Pindus, quos Ossa tulit, quos Pelion altus,
  Quotquot et Apidani gramina ripa dedit;
Quodque triceps Hecate auxilii, quod numina noctis,
  Quod nemorum poterant diique deæque dare.
His simul incoctis, precibusque et carmine multo
  Sopiti jugulum discidit ense senis.
Sanguis ubi exierat, validi medicamine succi
  Replevit soceri guttura cæsa nurus.
Canities, maciesque abiit, pallorque, situsque,
  Plenaque luxuriant membra vigore novo.
Scilicet hoc visum est mire finxisse poëtæ;
  Te penes est dignum dicere necne fide.
Quidlibet audendi pictori est æqua potestas,
  Et multi ingenii tradidit ille molam.
Clarius inventum, quoniam plus exhibet artis,
  (Quod mox agnosces) pr digiique minus.
Ponitur in campis (ita lusit amabile pictor)
  Machina, bis senos, vix minus, alta pedes.

Non agitur ventis, non est versatilis undis,
Versandæ toti sufficit unus homo.
Pyxis quadrati ex ligni compagine, summum
Inversi coni conficit instar opus.
Huc ope scalarum ascendens, de margine capsæ
Conjicitur præceps, ut juvenescat, anus.
Dum rota versatur, (credat, qui conspicit) exit
Juxta exspectanti pulchra puella proco.
Pulchra, decens, habilis—vetulæ hæc miracula cernunt,
Et propere ad scalas, ut renoventur, eunt.
Jam non in plateis, longa confecta senecta,
Hoc vetula exaudit triste, Memento mori,
Si quam pervulgata fidem pictura meretur,
Læta magis vox est illa, Memento Moli.

CORNICULA.

NIGRAS inter aves avis est, quæ plurima turres,
Antiquas ædes, celsaque fana colit.
Nil tam sublime est, quod non audace volatu,
Aëriis spernens inferiora, petit.
Quo nemo ascendat, cui non vertigo cerebrum
Corripiat, certe hunc seligit illa locum.
Quo vix a terra tu suspicis absque tremore,
Illa metus expers incolumisque sedet.
Lamina delubri supra fastigia, ventus
Qua cœli spiret de regione, docet ;
Hanc ea præ reliquis mavult, secura pericli,
Nec curat, nedum cogitat, unde cadat.
Res inde humanas, sed summa per otia, spectat,
Et nihil ad sese, quas videt, esse videt.
Coucursus spectat, plateaque negotia in omni,
Omnia pro nugis at sapienter habet.
Clamores, quos infra audit, si forsitan audit,
Pro rebus nihili negligit, et crocitat.
Ille tibi invideat, felix cornicula, pennas,
Qui sic humanis rebus abesse velit.

THE JACKDAW.

TRANSLATED BY COWPER.

THERE is a bird who by his coat,
And by the hoarseness of his note,
    Might be suppos'd a crow;
A great frequenter of the church,
Where bishop-like he finds a perch,
    And dormitory too.

Above the steeple shines a plate,
That turns and turns, to indicate
    From what point blows the weather,
Look up—your brains begin to swim,
'Tis in the clouds—that pleases him,
    He chooses it the rather.

Fond of the speculative height,
Thither he wings his airy flight,
    And thence securely sees
The bustle and the raree-show
That occupy mankind below,
    Secure and at his ease.

You think, no doubt, he sits and muses
On future broken bones and bruises,
    If he should chance to fall,
No not a single thought like that
Employs his philosophic pate,
    Or troubles it at all.

He sees that this great roundabout
The world, with all its motley rout,
    Church, army, physic, law,
Its customs and its businesses
Are no concern at all of his,
    And says, what says he ?—Caw.

Thrice happy bird ! I too have seen
Much of the vanities of men,
    And sick of having seen 'em,
Would chearfully these limbs resign
For such a pair of wings as thine,
    And such a head between 'em.

CONSPICILLUM.

OMNIBUS ex oculis, quos ars invenit et usus,
Per quos conspicimus res prope, resque procul;
Commodius nihil est, nihil est præsentius illis,
Impositos naso quos fere quisque gerit.
Sunt, qui temporibus, ne balba e nare loquantur,
Affigi malunt hæc vitrea auxilia.
Sunt, quibus in dextra vitrum prætenditur unum;
Hi sunt ex illis, quos pudet esse senes.
Nemo sagax magis est exploratore novorum,
Cum vitra in naso gestet, in ore tubum:
His pollens armis, his adjutricibus armis,
Arcani nihil est, quod subolere nequit.
Adjumenta domi hæc si fors fortasse relinquat,
Frustra sub cubito biblia portat anus:
Excidit ex animo, nihilique est concio tota
Ni caput et versum, secum habet, unde notet.
Induit alternis psalmodus et exuit infra
Clericus, alternis ut legat, utque canat.
Pollice * tunc habuit suspensa, obliqua tuenti
Cum niveum ostendit nympha sopora sinum.

* Vide picturam Gul. Hogarth, quæ sopitam lepidissime describit congregationem.

Lumina cui languent, multis hebetantur et annis,
Quatuor ut fiant, addat ab arte duo.
Qui vult argutus, qui vult oculatus haberi,
In capite hic oculos gestet, et in loculo.

IN EDICTUM REGIS GEORGII SECUNDI,

DE RECUDENDIS NUMMIS AUREIS.

AUREA Jacobi vultus et nomina gessit
Lamina; sed longo jam tenuata die.
Scilicet exesas injuria temporis oras
Sensim corrosit, diminuitque latus.
Vix patet huic sceptrum, vix huic distinguitur orbis,
Inscriptum haud illi lemma videre licet.
Ne valor et pondus decrescere pergeret ultra,
Huic quoque præcavit regia cura malo.
Edicto incudi detrita numismata reddi
Jussit, et effigiem ferre recusa novam.
Nec tamen amitti dices cum nomine formam;
Est et adhuc vultus, qui pretiosa facit.

PONS WESTMONASTERIENSIS.

THAMISI, regales qui præterlaberis arces,
 Quam se magnificum, suspice, tollit opus!
Quanto cum saxis coalescunt pondere saxa!
 Quo nexu incumbens sustinet arcus onus!
Ardua quam justo pendet libramine moles!
 Qua partes hærent partibus harmonia!
Quos, cerne, ad numeros, ab utrovis littore, sensim
 Sunt supra acclives alterutrinque viæ!
Pontis aperturæ quam distant legibus æquis,
 Exterior quævis interiore minor!
Hunc artis splendorem inter, nihil impedit undas,
 Quove minus placidus vel taciturnus eas.
Nil tibi descensum accelerat; non vorticis ullus
 Impetus, in præceps unde ferantur aquæ.
Fluxu idem, refluxu idem, lenissimus amnis
 Incolumen subtus sternis, ut ante, viam:
Seris indicium sæclis, quo principe tanta
 Hæc tibi surrexit gloria, liber eris.

MILLIARIA.

LONDINUM a Granta pergenti (in pace quiescat,
Qui posuit) quota sint millia, saxa notant.
Jam non, ad patrias ædes rediturus, alumnus
Incertæ queritur tædia dura viæ.
Jam non, Fulmerii deserta per æquora campi,
Quærit ubi villam, conspiciatve domum.
Quem roget, occurrat nullus si forte viator,
Certus in incertis rebus amicus adest.
Est in conspectu, qui millia computat, index,
Et numerat, quanto diminuatur iter.
Hunc prætervecto lapidem, qui proximus instat,
Millia signabit præteriisse duo.
Vix e conspectu, vix sese ubi submovet ille,
Ordine qui subeant, alter et alter erunt:
Tertius, et quartus—quintusque haud conficit horam;
Tam placido pergunt usque tenore viæ.
Ignotæ tantum præstat distantia nota;
Millia quæ reddit plura, minusque viæ.

CAUPO MEDIATOR.

SEU lis inciderit muliebris sive virilis,
  Caupo statim rixæ pacificator adest.
Ille interponens sese, Pacem impero vobis,
  Inquit, et in regis nomine posco, rogo:
Præcipue cautus, ne verba in verbera cedant,
  Respicit hinc pugilum, respicit inde, manus.
Neu desit quidquam, quantum facundia possit,
  Tentat, et has voces addit et hisce pares.
Tollite barbariem; vicini estote, quod estis;
  Imbelles animos arguit iste furor.
Quin sociis mecum fœdus renovate lagenis;
  Lædit enim totas lis inimica domos.
Nemo magis præsens illo est componere lites,
  Sed nebulo siccas odit amicitias.

CICINDELA.

Sub sepe exiguum est, nec raro in margine ripæ,
Reptile, quod lucet nocte, dieque latet.
Vermis habet speciem, sed habet de lumine nomen;
At prisca a fama non liquet, unde micet.
Plerique a cauda credunt procedere lumen;
Nec desunt, credunt qui rutilare caput.
Nam superas stellas quæ nox accendit, et illi
Parcam eandem lucem dat, modoloque parem.
Forsitan hoc prudens voluit natura caveri,
Ne pede quis duro reptile contereret:
Exiguam, in tenebris ne gressum offenderet ullum,
Prætendi voluit forsitan illa facem.
Sive usum hunc natura parens, seu maluit illum,
Haud frustra accensa est lux, radiique dati.
Ponite vos fastus, humiles nec spernite, magni;
Quando habet et minimum reptile, quod niteat.

THE GLOW-WORM.

TRANSLATED BY COWPER.

Beneath the hedge, or near the stream,
  A worm is known to stray;
That shews by night a lucid beam,
  Which disappears by day.

Disputes have been and still prevail
  From whence his rays proceed;
Some give that honour to his tail,
  And others to his head.

But this is sure—the hand of might
  That kindles up the skies,
Gives him a modicum of light,
  Proportion'd to his size.

Perhaps indulgent nature meant
  By such a lamp bestow'd,
To bid the trav'ler, as he went,
  Be careful where he trod:

Nor crush a worm, whose useful light
Might serve, however small,
To shew a stumbling stone by night,
And save him from a fall.

Whate'er she meant, this truth divine
Is legible and plain,
'Tis power almighty bids him shine,
Nor bids him shine in vain.

Ye proud and wealthy, let this theme
Teach humbler thoughts to you,
Since such a reptile has its gem,
And boasts its splendour too.

ODE NUPTIALIS.

JUVENES.

VIRGINES, quas castus Amor jugali
Destinat tædæ, generosa vitis
(Quod sit, O! felix, quod et usque felix)
Jungitur ulmo.

VIRGINES.

Si preces junctæ auspicium secundent,
Vos simul festum repetemus omen;
" Vite cum dulci juveni sit ulmo
" Copula felix."

CHORUS.

Floreat una viridi juventa,
Et pari longum vigeant honore;
Invicem nexis socientque ramis
Mutua vincla.

JUVENES.

Robur et vires columenque tutum
Arbori arbor det valida imbecilli,
Et diu sospes stabilisque vitem
Fulciat ulmus.

VIRGINES.

Palmites innectat in arctiorem
Vitis amplexum, gravidoque fœtu et
Purpura multi decorans racemi
Vestiat ulmum.

CHORUS.

Quod potest, vitem tueatur ulmus;
Quod potest, vitis locupletet ulmum;
Illa tutamen, decus addat illa,
Utraque utrique.

JUVENES.

Utraque irruptam arbor, et hæc et illa,
Copulam servet, pariter fidelis,
Nec die solvat citius supremo
Fœdus amoris.

VIRGINES.

Sit diu salvum sociale vinclum,
Nulla quod fati violet potestas:
Serius fiat viduata vitis,
Serius ulmus.

CHORUS.

Arbores sylvæ spatiosiores,
Arbores, quas lucus alit, minores,
Hanc fidem laudent, simul æmulentur,
Connubialem.

HÆREDIS LUCTUS.

NUMMORUM immensæ summæ qui nascitur Hæres,
Quo ritu amissum defleat ille patrem!
Magna statim signet mortem campana, jubete;
Nec pulsus horas desinat ante duas;
Obdite (mœrori quia lux inimica) fenestras;
Durius ut pulset nemo, cavete, fores.
Formaque quo major taciti sit funeris, ire
Suspenso servum quemque jubete pede.
Quique paret pullas, sartorem, accersite, vestes;
Eventum tristem nil nisi triste decet.
Præcipite, ut currus sit et intra pullus et extra,
Pullaque sint itidem fræna, sedile, rotæ.
Quadrata in tabula defuncti insignia coram
Prostent, in media fronte locata domus.
Testetur, fas est, pietatem Ecclesia nati:
Pulpita sint pariter condecorata, volo.
Ut res sunt nihili speciosa imitamina luctus!
Ut nugæ, ut fiunt omnia ludibrium!
Fallitur egregie, quem pompa externa doloris
Fallit: nil istis lætius est lacrymis.

BOMBYX.

FINE sub Aprilis Bombyx excluditur ovo,
  Reptilis exiguo corpore vermiculus.
Frondibus hinc mori, volvox dum fiat adultus,
  Graviter incumbens, dum satietur, edit.
Crescendo ad justum cum jam maturuit ævum,
  Incipit artifici stamine textor opus:
Filaque condensans filis, orbem implicat orbi,
  Et sensim in gyris conditus ipse latet.
Inque cadi teretem formam se colligit, unde
  Egrediens pennas papilionis habet;
Fitque parens tandem, fœtumque reponit in ovis;
  Hoc demum extremo munere functus, obit.
Quotquot in hac nostra spirant animalia terra,
  Nulli est vel brevior vita, vel utilior.

REGNARE NOLO, LIBER UT NON SIM MIHI.

IRUS ego (hæc musam memini cecinisse jocosam),
  Pauper, et a cunis claudus—et Irus ero.
Est mihi tibicen lignum, quod cruris iniquis
  Gressibus, officium præstat—et Irus ero.
Ad latus ampullam gesto, sed non ita magnam,
  Unde bibam, quando siccus— et Irus ero.
Pera mihi pendet duplex; salis altera custos,
  Altera, quæ panem servat—et Irus ero.
Longa mihi tunica est, et pannis obsita; nympham
  Quæ tamen interdum celet—et Irus ero.
Insidiis procul atque metu, immunisque pericli,
  In cella vivo tutus—et Irus ero.
Invidiam supra, dominoque beatior omni
  Irus ego, et (regnet, qui volit) Irus ero.

REGNARE VOLO.

Bis sextam clausura diem post festa Decembris
 Lusibus innocuis nox salibusque datur.
Festivum in cœtum coeunt pueri atque puellæ,
 Ut sors, quos regno destinet, ipsa legat.
Sortis ad arbitrium Rex et Regina creantur,
 Quo ritu? breviter cuncta docendus eris.
De farre et prunis libum componitur ingens,
 Bis sex in partes sectile, bisve decem.
Convivæ, quotcunque adsint, sua portio cuique est;
 Cuique suum assignat portio quæque locum.
Credere vix poteris, qui risus inter edendum,
 Quæ spes pertentent pectora, quive metus.
Rex ille in noctem, Regina vocatur et illa,
 Cui faba contigerit, contigeritque cicer.
Præficiunt epulis convivæ utrumque; salutem
 Et regno optantes omnia fausta brevi:
Regnum unam in noctem, si sit lætabile saltem,
 Imperio annorum dulcius esse rati.

ΔΩΡΟΝ ΑΔΩΡΟΝ.

CIVES in campos quoties innubilus aër
  Elicit, et tepidum ver, zephyrique leves;
Terga bovis, vel terga suis, satis utraque salsa,
  Caupo suburbanus donat, ut hospes edat.
Nec fraudi successus abest optatus; ad hamum
  Gobio festinat plurimus, et capitur.
Conviva insidiis deceptus editque sititque;
  Nec sentit, quantum crescit edendo sitis.
Non adeo est largus, non est, quem credis, amicus:
  Ut vendat potum, dat tibi caupo cibum.

APES.

GENS frugi et prudens, operosa et provida, vitam
  Quam placide peragunt, quam sapienter Apes!
Urbis habent inter sese consortia; cuique
  Stat sua pars operum, munia cuique sua.

Nota domus sua cuique, et parvæ limina cellæ ;
  Et sua de medio portio cuique cibi est.
Hic esto populus, res esto hæc publica, discat
  Unde suos cives instituisse Plato.

INGENIA IN OCCULTO.

Discipulos variæ sectæ, variæque studentes
  Artis, Musæum Bethlemiense capit.
Alterius studiis obsit ne forsitan alter,
  Obfirmat cellam portula cuique suam.
Qualis Epicteto lectus, qualisque cathedra,
  Talis iis lectus, tale sedile datur.
Neu Phœbus radiis animi perstringat ocellos,
  Excludit nimium parva fenestra diem.
Dulcibus hic totus musis incumbit : et implet
  Angustos rhythmis carminibusque lares :
Impendit curam patriæque et civibus ille ;
  Debita si forsan diminuisse queat.
Nusquam est uberior, nusquam seges ingeniorum
  Major : sed messis tota latendo perit.

DIGNITAS ET OTIUM.

ALTIOR est reliquis, quæ sella vocatur honoris;
  Acclivis, facili sed superanda jugo.
Hoc solium ascendit, quem tota frequentia poscit
  Præsidis in noctem sustinuisse vices.
Ille ubi composuit sese, clavoque galerum
  Suspendit, pœtum fert tubulosque puer.
Implet, et accendit, cubitoque innixus utroque
  In cathedra digne pro gravitate sedet.
Arbiter hinc dicit legesque modumque bibendi,
  Quoque propinanda est ordine cuique salus.
His tandem officiis functus, vinoque gravatus,
  Nondum deposito nutat hiatque tubo.
Quæ raro coëunt, et in una sede morantur,
  En! ubi majestas, et sit habenda quies!

AD

STEPHANUM DUCK,

ʼΕΓΚΩΜΙΑΣΤΙΚΟ´Ν.

ORTU humilem, obscurum vita, servumque labore,
  Te, Stephane, in lucem rustica Musa vocat.
Principibus placuisse viris tibi contigit Aulæ,
  Et minor est fama Lauriger ipse tua.
Cæsareo jussu, certum est tibi pensio munus;
  Te curatorem regius hortus habet.
Regia præterea, si fama est nuntia veri,
  Curæ mandatur bibliotheca tuæ.
Nec fastu tamen elata est, vultuve superbo
  Fert tua fortunæ prospera musa vices.
Nec mutantur adhuc mores; sed et ille modestus,
  Ille verecundus, qui prius, usque manes.
In modicis æquus; prudens, moderatus in altis,
  Exemplar magnis esto, vel opprobrium.

SUICIDA.

MUSCA meam volitat circum importuna lucernam,
Alasque amburit jam prope jamque suas.
Sæpe repello manu venientem, et, inepta musca,
Quæ, te, inquam, impellit tanta libido mori?
Illa tamen redit, et, quanquam servare laboro,
Instat, et in flammas exitiumque ruit.
Exiguam tibi nolo animam, quam projicis, ultra
Servare; et si sis certa perire, peri.

ΑΡΧΙΤΕΚΤΩΝ.

ASPICIS, ut nidum tignis suffigit hirundo,
Cæmento ut luteo pensile firmat opus?
Aspicis, ut solido durescunt mœnia nexu,
Quem neque ventorum vis, neque solvat aqua?
Structura incolumis, multos mansura per annos,
Vere eadem reduces excipit hospes aves.
Præstat in exigua, quod non Vanbrughius æquet,
Quod non Gibbesius vincat, hirundo domo.

ARTIS EST CELARE ARTEM.

PULCHRA, nec invitos, vocat ad spectacula cives
  Fauxius, egregiæ dexteritatis homo;
Fallere spectantes quo non solertior alter,
  Vel linguæ insidiis, vel levitate manus.
En! vobis (aperitque manum deceptor utramque)
  Orbiculum! hei præsto!—fugit, abivit—adest.
Est hic, est illic—nusquam est, et ubique—videte,
  In mensa—in loculis hujus—in ore tuo.
Tunc peram invertit; fraudemqne exorsus ab ovo
  Gallinam profert aligerumque gregem.
Chartula (proh! monstrum!) summi ad laquearia tecti
  Subvolat, et formam jussa capessit avis.
Spectator lætus videt hæc miracula rerum,
  Et stupet occulti captus amore doli.
Multum habet ingenii, multum delusor et artis;
  Qui, simul ac aperit se, nihil artis habet.

IRIS PORTABILIS.

Colligit et frangit radios in mille colores
    Vitrum, quod docti nomine prisma vocant;
Coccina cæruleis, croceis hyacinthina distant,
    Singula per varios attenuata gradus.
Dissimiles umbris sunt umbræ, et linea quævis
    Languidior sensim contiguaque minor.
Per sic dispositæ discrimina lucis, in omni
    Depictam facie prismatis Irin habet.

———LEVIUS FIT PATIENTIA,
QUICQUID CORRIGERE EST NEFAS.

Clauditur in cavea, laqueo quam prenderit auceps,
    Et silet, et fatum lugubre plorat, avis.
Nec placet angustus carcer, quam limite nullo
    Aërias nuper juverat ire vias.

Nascitur, et longo patientia crescit ab usu;
  Nec jam, quæ dederat tædia, carcer habet.
Jam se solatur cantu captiva; nec ulla
  Suavius in campis libera cantat avis.

VERITAS ET AMICITIA.

Est homo, mercator ruri, cui lux tremit intus;
  In cultu gravitas est, et in ore fides:
Qui longis odit verborum ambagibus uti,
  Nec cum vicinis dissimulanter agit.
Nec pretium ingeminat venalibus amplius æquo,
  Ut mox diminuat, dimidietve, lucrum.
Nec nimis extollit merces, et laudibus auget;
  Commendet melius quas suus ipse valor.
Nil vanum aut falsum; sed næ solenniter aut non
  Profert particulas, et sine fraude, duas.
Quodcunque affirmatu opus est, quodcunque negatu,
  Affirmat nude, simpliciterque negat.
O probitas primœva! an et hæc laudatur et alget?
  Nonne hæc emptores conciliare potest?
Næ! venit, ah! sane! multus venit emptor amicus,
  Multaque cum sancto fratre profana soror.

ÆNIGMA.

PARVULA res, et acu minor est, et ineptior usu.
Quotque dies annus, tot tibi drachma dabit.
Sed licet exigui pretii, minimique valoris,
Ecce, quot artificum postulat illa manus!
Unius in primis cura est conflare metallum,
In longa alterius ducere fila labor.
Tertius in partes resecat, quartusque resectum
Perpolit ad modulos attenuatque datos.
Est quinti tornare caput, quod sextus adaptet;
Septimus in punctum cudit ex exacuit.
His tandem auxiliis ita res procedit, ut omnes
Ad numeros ingens perficiatur opus.
Quæ tanti ingenii, quæ tanti est summa laboris?
Si mihi respondes, Œdipe, tota tua est.

LABOR INEPTIARUM.

Ut genera et species dignoscat papilionum,
  Sitque quibus maculis quisque, quibusque notis;
Quotquot agris volitant, studiose hinc colligit illinc,
  Musæi ut servet Fulvius inter opes.
Thesaurum egregium! si quis foret usus habendi!
  At cuinam hæc servit cura laborque bono?
Papilio, centum quamvis servetur in annos,
  Nil nisi relliquiæ papilionis erit.

NEMO MISER NISI COMPARATUS.

Quis fuit infelix adeo! quis perditus æque!
  Conqueritur mœsto carmine tristis amans.
Non novus hic questus, rarove auditus; amantes
  Deserti et spreti mille queruntur idem.
Fatum decantas quod tu miserabile, multus
  Deplorat multo cum Corydone Strephon.
Si tua cum reliquis confertur amica puellis,
  Non ea vel sola est ferrea, tuve miser.

IN NUPTIAS SERENISSIMI AURANSIÆ PRINCIPIS,

ANNO 1734.

QUI magnum exornas, princeps, virtutibus ortum,
  Auriacum nomen Nassoviamque domum;
Felicem in longum thalamum tibi Musa precatur,
  Et quotquot dederit gaudia fidus Amor.
Jam non ut media cupimus statuatur in urbe,
  Hisce quod auxiliis nil Gulielmus eget.
Æra statim sordent, nigra ferrugine tincta;
  Et quæ non tempus marmora, livor edit.
Auriaci vultus quæ spirat imagine viva,
  Est quavis statua sanctior effigies.
Anglia si junctis valeatque Hollandia votis,
  In natis priscos tu revocabis avos;
Quæque nec æquabit saxum nec ahenea signa,
  Auriacæ genti tu monumenta dabis.

PHŒBE ORNATRIX.

DORINDA ad speculum longas dum conterit horas,
Comprimat ut positas justior ordo comas;
Serva a secretis juxta stat sedula Phœbe,
In dominæ laudes officiosa suæ!
Omnia mirari præsens, crinemque, coloremque,
Et molles oculos, purpureasque genas!
Quam bella hæc macula est, lævum quæ stringit ocellum,
Ut veneres geminat lunula bina tuas!
Quam bene nativæ respondent omnia formæ!
Ut gracilem attenuat zona reducta sinum!
Nec desunt huic obsequio sua munera; quanta
Pro merito fas est proque valore dari.
Fasciolis Phœbe, Phœbe donata lacernis,
Et placet, et quanti sit placuisse, docet.

ODOR LUCRI.

PAULINA ad turrim qua semita ducit ab æde,
Nomen de Thamisi flumine vicus habet.
Nequaquam violis conspergitur ille rosisque,
Nec 'um olet, ut pictus floribus hortus olet.
Nec thus, nec nardum, nec aroma aut cinnama vendit,
Aut felix quicquid mittit odoris Arabs,
Caseus ast illic, quem Cestria pressit, abundat
Multus; et id sentis olfaciendo procul.
Millia lychnorum pendent ex ordine multa;
Inque cadis sapo, pix, oleumque jacent.
Innumeræ haleces doliis cumulantur in amplis,
Et salsamenti conditur omne genus.
Cæpe manu est majus, pætumque, oh nausea turpis!
Hinc longe emunctæ, Cottile, naris abi.
Quæ te adeo offendunt, Thamisini sunt ea vici
Divitiæ; et cessat lucrum, ubi cessat odor.

DECOR INEMPTUS.

FŒMINA munditiis simplex, cultuque pudica est,
Quam tremulam a tremula religione vocant:
Illa, nihil sæcli sapiens, nec crispat ad aures
Crinem, nec collum nudat ad usque sinus:
Quam natura dedit, forma contenta; satisque
Pulchra, adjumenti nil aliunde petit.
Tota placens, et tota decens, et tota venusta,
Auget quas celat, quasque revelat opes.
Huic formam invideat, quæ formam accersit ab arte,
Et pars exigua est ipsa puella sui:
Quæ, male dedignans nativis dotibus uti,
Ornatum, sese quo dehonestet, emit.
Et simul agnoscat, veneres quando invidet istas,
Quodcunque est simplex, illud et esse decens.

LIMAX.

FRONDIBUS et pomis herbisque tenaciter hæret
Limax, et secum portat ubique domum.
Tutus in hac sese occultat, si quando periclum
Imminet, aut subitæ decidit imber aquæ.
Cornua vel leviter tangas, se protinus in se
Colligit, in proprios contrahiturque lares.
Secum habitat, quacunque habitat; sibi tota suppellex;
Solæ, quas adamat, quasque requirit, opes.
Secum potat, edit, dormit; sibi in ædibus isdem
Conviva et comes est, hospes et hospitium.
Limacem, quacunque siet, quacunque moretur,
(Si quis eum quærat) dixeris esse domi.

ΠΆΝΤΑ ΓΈΛΩΣ.

HEROUM quo fama abiit! vulgataque quondam
Antiquis ubi sunt nomina in historiis!
Heu! quanta humanis insunt ludibria rebus!
Gloria, cum tantum gloria, quam nihili est!

Pompeium quis conjiceret nunc esse Molossum?
  Cæsara quis lanii crederet esse canem!
At sunt; rivales at sunt: certaminis (aut os
  Aut offam carnis projice) testis eris.
Scipio, fulmen adhuc belli, tauro involat acer,
  Et validos lacerat dente tenace toros.
Quod defensor erat Trojæ, defensor et horti est;
  Et canis est Hector, quod fuit Hector homo.
Qui præter reliquos sævus sitiensque cruoris,
  Ille, nec immerito, dicitur ille Nero.
Ut coriis fures unctis absterreat, ille
  Latratu multo perpete nocte furit.
En quo processit verborum injuria! Brutus
  Expellit porcos, et Cato servat oves.
At neque servatur major reverentia divis,
  At neque cœlitibus nomina sancta magis:
Juno, Diana, Venus, quondam celebrata poëtis
  Numina, jam nuribus sunt gremialis Amor:
Curribus ad varios cœtus hinc inde feruntur;
  Seu fors templa magis, sive theatra juvent.
Si foret in terris Democritus, hanc quoque justam
  Materiem risus dixerit esse sui.

———SI PROPIUS STES,
TE CAPIET MINUS.———

LONDINI ad pontem prono cum labimur amne,
Quam tua dat turris dulce, Maria, melos!
Ut servat justum quævis campana tenorem!
Pulsata ut variis contremit aura sonis!
Nec mora, nec requies; ripas concentibus implet,
Alternans hilares ingeminansque vices.
Quo magis abscedis, tentat numerosior aurem
Musica; lætantur corda, salitque jecur.
Talis ab harmonia surgit distante voluptas;
Sin turrim introëas, omnia clangor erit.

VULGUS NON RECTUM VIDET.

SI discum Solis Lunæ interceperit orbis,
(Quod rarum non est dicere phænomenon)
Vitra statim infuscant alter speculator et alter,
Nec possunt prorsus dissimulare metum.

At si, quod bino, quod trino haud accidit ævo,
  Horrendum longo crine cometa rubet;
Quod non prodigium cœli hæc denunciat ira!
  Interitum mundi, judiciique diem!
Continuo platea Miserere auditur in omni;
  Quod pueri ingeminant, ingeminantque senes.
Lymphatis similes discurrunt undique nymphæ;
  Occultæ in cellis quaque precantur anus.
Interea astronomus, specula observator in alta,
  Rerum hæc securo pectore monstra videt:
Scilicet hæc longum præsenserat ille futura:
  In tantum distant vulgus et astronomus.

INNOCENS PRÆDATRIX.

SEDULA per campos, nullo defessa labore,
  In cella ut stipet mella, vagatur apis:
Purpureum vix florem duplex prætervolat unum,
  Innumeras inter quas alit hortus opes;
Herbula gramineis vix una innascitur agris,
  Thesauri unde aliquid non studiosa legit.

A flore ad florem transit, mollique volando
Delibet tactu suave quod intus habent.
Omnia delibat, parce sed et omnia, furti
Ut ne vel minimum videris indicium.
Omnia degustat tam parce, ut gratia nulla
Floribus, ut nullus diminuatur odor.
Non ita prædantur modice bruchique et erucæ;
Non, ista hortorum maxima pestis, aves;
Non ita raptores corvi, quorum improba rostra
Despoliant agros effodiuntque sata.
Succos immiscens succis, ita suaviter omnes
Temperat, ut dederit Chymia nulla pares.
Vix furtum est illud, dicive injuria debet,
Quod cera et multo melle rependit apis.

IGNAVUM FUCOS PECUS A PRÆSEPIBUS ARCENT.

PER Batavûm plateas (ita, gens operosa, cavetis)
Mendicus nemo, nemo vagatur iners.
Non cæcus, non claudus iners; modo sint tibi, claude,
Qui prosint, oculi; sint tibi, cæce, manus.

Non operum immunis puer est, non grandior ævo ;
  Sed sua stant puero, stant sua pensa seni.
O prudens hominum respublica ! natio vestra,
  In terris usquam si siet, Utopia est.

PASSERES INDIGENÆ;

COLL. TRIN. CANT.

COMMENSALES.

INCOLA qui nôrit sedes, aut viserit hospes,
  Newtoni egregii quas celebravit honos ;
Viditque et meminit, lætus fortasse videndo,
  Quam multa ad mensas advolitârit avis.
Ille nec ignorat, nidos ut, vere ineunte,
  Tecta per et forulos et tabulata struat :
Ut coram educat teneros ad pabula fœtus,
  Et pascat micis, quas det amica manus.
Convivas quoties campanæ ad prandia pulsus
  Convocat, haud epulis certior hospes adest.

Continuo, jucunda simul vox fertur ad aures,
Vicinos passer quisque relinquit agros.
Hospitium ad notum properatur; et ordine stantes,
Exspectant panis fragmina quisque sua.
Hos tamen, hos omnes, vix uno largior asse
Sumptus per totam pascit alitque diem.
Hunc unum, hunc modicum (nec quisquam inviderit) assem
Indigenæ, hospitii jure, merentur aves.

PLANETÆ SUNT HABITABILES.

JAMDUDUM terras vatum labor improbus omnes
Aonio implevit cantu; venere vocatæ
Quoscunque ad colles, quæcunque ad flumina Musæ.
Nos sedes alias, alios exquirimus orbes;
Nos ferri impavido vastum per inane volatu
Ingens urget amor; juvat, O! juvat ire per ignes
Æthereos, lustrare alti vaga lumina cœli,
Stellarumque aperire domos. Quis in ardua Tauri

Culmina me sistet; dorsove imponet Atlantis ?
Hic oculis, Galilæe, tuis, nexuque tuborum
Instructum, celeri volventia sydera motu,
Mille alias terras, maria altera millia cernam.
   Fas erit ingenti ducenteni sæcula gyro
Saturnum spectare gravem. Jam languidus ævo
Vix graditur : vetat hinc atque hinc lentissima moles,
Informi concreta gelu ; circum atra pererrat
Caligo tenebrarum, et sævi frigoris horror.
Haud niveos usquam tondentes prata juvencos
Cernere erit, lati nec aperta per æquora campi
Evolat Eleüs sonipes ; genus acre luporum
Aspera nutrit hyems, ululantque in montibus ursi.
Nec moliri arces, ferro aut proscindere glebam,
Cura subit populos ; labor unus et una voluptas
In sylvis agitare feras nudoque sub axe
Indormire solo, et traducere duriter ævum.
   Tuque etiam nostrum poscis, Saturnie, carmen ;
Piscibus apta tibi sunt æquora, sunt tibi sylvæ,
Fontesque irrigui ; neque culta novalia desunt ;
Nec gens dura virûm, mentis quibus alma vigorem
Indulsit natura, et firmo corpore finxit.
   Tuque canendus eris, genitor Gradive, rubenti
Igne potens ; tu bella ferox lethumque per orbem
Spiculaque, gladiosque, atque artes mille nocendi
Dispergis, tibi sacra parat jam dirus Iberus,
Auspiciisque tuis ductus spem ponit in armis.
At tu, magne pater, Britonas, Britonumque labores
Respice ; sique tuo Henrici, si numine ducti
Cressiacos Edoardi implêrunt stragibus agros,

Atque ultra oceanum lætos egere triumphos,
Frange manu telum Hispani prædonis, et ipsum
Pronum sterne solo, atque irata disjice fronte.
Mercurio Venerique sui debentur honores,
Artibus hic animum, molli imbuit altera amore;
Quis dubitat, quin intus alat vos spiritus idem,
Qui nos, et toto pariter se misceat orbe?
Haud vobis populos hilares, nymphasque decoras
Deesse putem; superincumbat licet igneus ardor,
Vicinique urat nimia inclementia solis.
Et te, fida comes Terræ, te, Luna, canemus,
Indigenasque tuos, quos nunquam lucidus æther
Deserit, aut tenues puris cum solibus auræ.
Immanis jam Turca tuo inflammatus honore,
Sperat inaccessos populos retinere catenis;
Et, si non fallant Meccani oracula vatis,
Ævo defunctus misero, Martisque labore,
Auspiciis mox, diva, tuis securus, in ævum
Gaudia multijugæ Veneris novus incola carpet.

Cantabrigiæ, in Comitiis posterioribus, 1718—19.

CAMERA OBSCURA.

Nocturnum Zeuxem, variæ subtemina lucis,
Et picturatam sine succo et arundine chartam,
Phœbe, canas, lucis deus idem et carminis idem.
  Ergo age, quæ Borean a fronte exceptet, opacam
Constituas Cameram : valvas utrinque fenestræ
Obde prius, nullamque sinas in pariete rimam
Hiscere, per tenues ne lux ingressa meatus
Confundat teneras species, formasque caducas.
Exiguum tamen in valvis pertunde foramen,
Qua radii introëant, lævique huic insere vitro
Tornatam, modicoque rotundam gibbere lentem ;
Et pone albentem digito suspende tabellam.
Huc species rerum illapsæ, qua porta patescit,
Sponte sua intrabunt, et puncto temporis uno
Per chartam automatas cernes volitare figuras.
  Tales, si qua fides Epicuro, e corpore sensim
Membranæ aufugiunt ; oculis sese ingerit ultro
Lamina, sensibilique intrans ferit organa pulsu.
  Jam vero, qua vi refringat vitreus umbo
Exceptos lucis radios, qua lege vagantes
Colligat in nodum complexus, et ima supremis
Vertat ; cur amet obtentas pictura tenebras,

Judicis arguti quum non formidet acumen,
Expediat physicus—neque enim datur omnia scire
Vatibus—hoc unum satis est cognoscere, quod non
Incassum, velutique ipsi, natura laborat.
Quare age, quæ sensu fuerint magis obvia, mecum
Conspice, nec causas rerum scrutare repostas.
Ecce superficies, quam quondam ingloria nudam
Vestiit albedo, ceu mille coloribus Iris
Imbuta, ostentat varii discrimina fuci,
Luxuriemque novam, lautoque superbit amictu.
Cernis ut incepit nullo flavescere cultu
Extemplo matura seges; jam suave rubentes
Area sponte sua fundit tibi Dædala flores.
Hic mole exigua turres, simulataque magnis
Tecta angusta vides: sed prono vertice turris
Desuper impendens nutat, summusque deorsum
Vergit apex: cœlum subsedit ad ima tabellæ,
Summa petens emersit humus: sic rusticus olim
Credidit antipodum sursum vestigia niti,
Impositoque hærere solo; miratus abunde,
Quod non præcipiti lapsu petat ardua cœli
Pendula turba ruens, subjectaque sydera pulset.
Hic etiam motum, quem non est ausus Apelles
Moliri, pictum aspicias. Ut gramina flabris
Summa tremunt, undantque levi sinuamine fluctus!
Mimica nunc hominum effigies, nunc charta ferarum
Mentitur simulachra modis volitantia miris.
Certatim properant tenues arcessere vitas,
Progenies hodierna; et plurima spirat imago,
Miraturque novas formas, et non sua membra.

Jamque equitem, si quem fors huc advexerit, ultro
Arripis, inque tuam cogis migrare tabernam,
Nec tamen impedias iter, aut sis causa morandi.
Hic avidos pavisse oculos, salvoque pudore
In caput excussam fas est vidisse puellam.
Ut graciles artus tenuantur! ut ambitus imæ
Vestis in exiguum tandem concluditur orbem,
Quam tamen in quartam sartor porrexerat ulnam!
Scilicet hoc etiam est similis pictura puellæ,
Quod tangi metuens prensantem lubrica dextram
Exultim fugit, elusumque relinquit amantem.
Jam satis est: tectum tandem lux intret apertum:
Prisca redit chartæ albedo, fluxumque nitorem
Exuit, et lautam tanta farragine pompam;
Gloriaque in tenues dilapsa resolvitur auras.
Usque adeo quæ lux illustrat cætera, nostram
Obscurat scenam, et nimio fit inutilis usu.
Sic quondam lemures sublustri noctis in umbra
Exiles agitant choreas, et luce maligna
Rara per angustum plebecula saltitat orbem;
Mox jubar exoriens pallentes discutit umbras,
Spectraque cognatam repetunt evanida noctem.

Cantabrigiæ, in Comitiis posterioribus, 1720.

DEUS EST COGNOSCIBILIS LUMINE NATURÆ.

PRINCIPIIS rerum cæcis festiva choreis
Materies fertur lepidos habuisse tumultus,
Et variis plagis, vario se agitâsse labore;
Sed tandem impatiens lusus et militiaï
Ridiculæ, hunc orbem blande sopita creâsse;
Se paribus miscere paresque adjungere formis
Particulæ, pulchrumque adeo procudere mundum.
  Impia fœcundum hinc sparsit sapientia virus,
Credidit hinc orbem nulla ratione revolvi,
Consilio nullo fabricatum; hinc, more gigantum,
Ipsos luctata est superis divellere regnis
Divos, et vacuum finxit sine numine cœlum.
  Dissimiles veri ratio studiosa chimæras
Ridet; ut expansis leviter sese exerit alis!
Spernit humum volitans altum, gestitque latentem
Indagare Deum, campo jam læta patente,
Sidereas mirata domos, aut cærula regna;
Jam varios sequitur flexus, sinuosaque claustra
Recludens Naturæ, invento Numine gaudet.

LATERNA MEGALOGRAPHICA.

EXILES magico formas effingere lusu
Aggredior, circumfusisque aperire tenebris
Lucida non ipsi spectacula cognita Phœbo.
Effer opus lepidum, poscentibus effer amicis
Laternam, nunc obde fores, nunc obde fenestras,
Propellens radios infestaque tela diei;
Nempe leves minima absorbentur luce figuræ,
Nubila amant, solaque volunt sub nocte videri.
Haud aliter cum furvæ horrenda noctis in umbra
Artem iterat vetitam saga obscœnumque laborem,
Disruptisque audet tumulis arcessere manes;
Solis equi errantes animas ad Tartara cogunt,
Sævisque aërium dissolvunt flatibus agmen.
En! subito murum signat, radiisque malignis
Perscindit nebulas obstantes igneus umbo,
Ingens, sanguineumque micans; vexata furore
Thessalico, tali despectat Cynthia vultu
Hiscentes terras, et spectra meantia cernit.
Protinus accedunt mista sub imagine monstra,
Undique collatis discordia corpora membris.
Hic festiva aures satyrorum turba protervas
Erigit, et caudam vibrat, luditque, salitque,

Oraque terribili torquet larvata cachinno.
Avertor tetrum aspectum, tædetque tueri
Amplius.—Egregios ostendit scena triumphos
Splendidior; regumque apices, procerumque coronas
Undique conspicio tremulas, nymphasque nitentes.
  Proximus a tergo it nymphis (quis dignior iret?)
Notus eques, nympharum ultor, ferroque draconem
Deprimit insurgens; nequicquam bellua nodos
Mille plicat, caudam insinuans, linguamque micantem;
Ille jacenti instat, telisque retundit inanes
Attollentem iras, et flammea colla tumentem:
Ter felix! sed jam brevis heu victoria! longum
Nec tu, victor eques, nec tu spectabere, serpens.
  Hinc, procul hinc bellorum iræ, cædisque cruenta
Abscedat facies.—Placidum caput ecce! Lyæus
Intulit, et lætos expandit frontis honores.
Ardent suffusi generoso munere vultus,
Purpureisque rubent intextæ crinibus uvæ.
Ille abit—usque adeo brevis est humana voluptas!
Insigne horrendum lethi, tumulique supellex,
Continuo subit os hominis, cui gratia nulla
Nulla genas vestit, nullique in vertice crines;
Hinc atque hinc rarus fracti circum oris hiatum
Dens hæret passim; exculitur defossus utraque
Sede oculus, mœstumque intus spectatur inane.
  Avolat hæc subito notissima mortis imago,
At magis horrendum, magis illætabile spectrum
Adventare monet; sensim se tarda tenebris
Effert effigies (qualis nec tristior ulla

Terret anum, hybernæ per dira silentia noctis,
Sopitum dum sola sedens dormitat ad ignem;
Cum certos umbræ adventus subitusque lucernæ
Præsignat pallor tractæ stridorque catenæ)
Descendit stola lugubris de vertice ad imos
In nodum collecta pedes; tædam illa sinistra
Prætendit feralem, et formidabile pallet.
O nunquam tibi visendi tam funebre monstrum
Sit studium, virgo; in somnis tibi triste recurret
Visum; sudabis frustra, frustraque requires
Quem prenses arcto amplexu trepidisque lacertis,
Heu! longam damnans noctem vacuumque cubile.
Tali formarum farragine mœnia fulgent:
Sin spatio abfuerit paries tibi longius æquo,
Apparet rudis, indigesto lumine, moles;
Debilis haud nitet, indiscretaque languet imago.
Qualis ubi primo tabulam molimine pictor
Tinxerit, et nullo diffuderit ordine succos,
Dispersas circum nubes, dubiamque figuram
Cernis, et informes fuci splendentis acervos.
Nunc absiste, fores aperi, valvasque reclude:
Ecce perit tenuis, Phœbo redeunte, colorum
Tractus, et umbrarum vestigia fluxa recedunt.
Corpora sic molli dum vincta sopore quiescunt,
Plurima pertentant animos simulachra vagantes,
Nunc homines, celeresque feræ, pictæque volucres,
Funera, pompæ, adeunt nullo fugiuntque tenore,
Insomnis lusus animi: mox luce propinqua,
Ruptus abit somnus; sanas phantasma relinquit

Excussum mentes, verusque reducitur ordo,
Et facies rerum manifesto lumine ridet.

Cantabrigiæ, in Comitii prioribus, 1720—21.

SONUS PROPAGATUR PER AEREM.

RIPHÆI super arva soli, camposque nivales
Gentis hyperboreæ, septem subjecta Trioni
Porrigitur tellus; Zemblam dixere minores.
Illic, ut perhibent, tristem penetrabile vincit
Frigus humum, rapidoque ruentia flumina cursu
In solidam vertit glaciem, et (mirabile dictu!)
Aëris in magnum sævit mare; molle fluentum
Vi cohibet multa per parvos bruma meatus
Didita, nec Zephyro impelli scit mobilis humor.
Hinc non est tremulæ voci via libera, at ipsa
Verba gelu frænat; nix acri astricta pruina
Cana cadens premit, et circum undique fusa coërcet.
Namque ubi per patulas, facili jam tramite, fauces
Rasit iter liquidum sonus, oris protinus hæret
Vestibulum ante ipsum, et labrorum in limine primo

Sistit ; nec reperire viam, atque attingere metas
Optatas potis est, et jam frustratur hiantes.
Usque adeo inceptis sermonibus invida Juno
Obstat ; quæque loquax nimis, æthera sæpius implet
Voce, potens ipsum lingua superare Tonantem,
Nec missas audire sinit nec reddere voces.

Non tamen hæ rapidis volitant ludibria ventis
Dispersæ temere in cœlo, neque frigida formas
Tempestas miscet teneras, turbantve procellæ :
Densat hyems, solidoque super duramine vincit.

Ergo vana ferunt vocum simulachra vagari
Aëris in campis latis, defunctaque vita
Murmura ; multa cavis quærit se condere sacris
Umbra querelarum ; sunt et sua sæpe cachinnis
Spectra, suosque pati fama est suspiria manes.
Multaque præterea variorum monstra sonorum
Discurrunt, errantque cavæ sub imagine formæ ;
Donec vere novo terras Sol lumine mulcet,
Et reserat tepidas Zephyris labentibus auras.
Aërias calor ille vias, et rara relaxat
Spiramenta, aures sonitus qua lubricus intret.
Tum vero reddi deinde, et resoluta referri,
Irrita quæ frigus taciturno clauserat antro,
Et simili jam nunc sensus penetrare figura.

Nec mora ; se primo vinclis exsolvere mollis
Turba susurrorum, liquefactaque stridere tentat.
Addunt se socios crepitus, facilesque sequuntur,
Jamdudum omissi Batavûm femoralibus amplis ;
Continuo toto fragor aridus undique cœlo
Auditur, strepitusque et inania sibila miscet.

Mox propius tenues, nec jam confusa, per auras
Circum verba fremunt: vicinæ syllaba fida
It comes a tergo; nec longum tempus, et ipse
Clarescit certo notus discrimine sermo.
Nec vero cunctis idem datur exitus umbris;
Namque leves verborum animæ, quæ Gallica fudit
Lingua, fugam properant, et fulguris ocyor alis —
Ardet abire cohors simul omnis, et advolat aures.
At contra, Hispano quicunque caducus ab ore
Exibat sonitus, tardo ferit organa pulsu,
Et lenta vix vix cum majestate movetur.
Navita si guttur, nondum æthere raucus aperto,
Tartareum intendens, comites clamore ciebat,
Agnoscit reducem longo post tempore fletum,
Miraturque simul questus sociosque receptos.
Forte novus turbat, media inter gaudia, pulsans
Corda pavor; sævire ursi, rabidique videntur
Circum ululare lupi; quorum, dum bruma manebat,
Cum gemitu fugere animæ, dubiamque superstes
Sollicitat fremitus mentem, et vox posthuma terret.
Haud equidem credo spreta decedere Cypro
Idaliæque jugis Venerem, gelidaque sub arcto
Instaurare choros; si quis tamen hoc quoque, si quis
Captus amore legat littus, te, Phylli, myricæ,
Te nemus omne canit; formosam arbusta Lycorin,
Formosam doctæ resonant Amaryllida sylvæ.
Respondent pulsæ valles, iteratque jocosa
Nomen imago; rudis stupet arguti incola luci
Accipiens dulces summo de monte querelas,
Incertus, Geniumne loci, Faunosne locutos

Esse putet: fausto mox nescius omine gaudet,
Indigitesque deos, et numina ruris adorat.

Cantabrigiæ, in Comitiis posterioribus, 1721.

DEFENDIT NUMERUS.

BLANDIOR indulsit, felis, tibi parca; novena
Nam tibi net Lachesis fila novena colo.
Hinc, si missa voles celsi de culmine tecti,
Decidis in tutos præcipitata pedes.
Nec, miseram licet infestent laniique canesque,
Te lanii exanimant, exanimantve canes.
Si moriare semel, si bis, si terve, quaterve,
Plusquam dimidia parte superstes eris.

PAUPER IOANNES;

POCULUM SIC DICTUM:

COLL. TRIN. CANT.

DONO DATUM.

INSIGNIS fama scyphus est, et splendidus usu,
  Qui suum ab inscripto * carmine nomen habet,
Nocturnus studiis sæpe ille adjutor, alumnus
  Cum solus fruitur se fruiturque libris:
Nec comes ingratus, pætum cum leniter haurit,
  Et reficit sese lentus odore tubi.
At non immodicos potanti sufficit haustus;
  Mensura cyathos vix superante duos.
Quanquam nec titulos, et avita insignia præfert,
  Nec quid paupertas ambitionis habet;
Nec Barringtonio similes ostentat honores,
  Cristamque et scutum, † sanguineamque manum;

---

* *Inscribitur poculo hoc Distichon;*

" Pauper Ioannes, dictus cognomine Clarkson,
" Hunc Cyathum dono gratuitoque dedit."

† Insignia Baronetti.

Atqui animi memoris, gratique est pectoris index ;
Est etiam in parvo munere dantis amor.
Nomina cum majora scyphis exederit ætas,
Nec distincta suis nec memoranda notis;
Pauper Ioannes seris testabitur annis,
Versu, quem simplex, sed pia, musa canit ;
Non esse argenti pondus, quod dona, sed esse
Donantis mentem, quæ pretiosa facit.

SELLA PACIFICA.

UTILIS est cathedra, et multo superimminet amni,
Rerum, ubi nascuntur jurgia, certa salus ;
Effrænem cohibet quæ linguam, et temperat iras,
Nec sinit, ut ratio deserat imperium.
In qua Xantippe quæcunque immergitur undis
Ter quater, innocua mitior exit ove.
Nec quicquam irarum reminiscitur illa ; furoris
Tam cito defervet vis animique cadunt.
Quid docet hæc sella, attente perpenderis ; et nil
Socraticam dices par docuisse scholam.

USUS QUADRIGARUM.

In curru conduco locum, visurus amicum,
  Millia qui decies distat ab urbe novem.
Impatiens auriga moræ nos urget, et, hora
  Cum nondum sonuit tertia, jungit equos.
Vix experrectus, media inter somnia, surgo,
  Per longum misere discutiendus iter.
Ingredior, sedeo; cubitumque coarctor utrumque;
  Atque duas pingues comprimor inter anus.
Cum matre e contra puer est, milesque protervus;
  Distento hos inter corpore caupo sedet.
Nec vix illuxit, quin hinc agitamur et illinc,
  Aspera qua ducit, qua salebrosa via.
Altera tussit anus, rixatur et altera: jurat
  Miles, ῥογκάζει caupo, vomitque puer.
Dulce sodalitium! si sint hæc usque quadrigis
  Commoda, maluerim longius ire pedes.

PERVENIRE AD SUMMUM NISI EX PRINCIPIIS NON POTEST.

NEWTONUM ingentem, lumen non unius ævi,
  A. B. quæ docuit prima, magistra fuit.
Doctior ille statim vetula, cito sensit inani
  Quiddam his literulis majus inesse sono.
Protinus egregios elementis repperit usus;
  Usus, quos nunquam conjiciebat anus.
Notosque ignotis numeros conferre peritus,
  Inde potestates format utrisque datas.
Laudo tamen vetulæ præcepta ea primula, quæque
  Newtoni haud dubitem dicere Principia.

SPE FINIS.

AD dextram, ad lævam, porro, retro, itque reditque,
  Deprensum in laqueo quem Labyrinthus habet.
Et legit et relegit gressus, sese explicet unde,
  Perplexum quærens unde revolvat iter.

Sta modo, respira paulum, simul accipe filum ;
  Certius et melius non Ariadne dabit.
Sic te, sic solum, expedies errore : viarum
  Principium invenias, id tibi finis erit.

QUOD TIBI VIS, ID ALTERI ET TU FECERIS.

OFFICIOSA senem, succincta, et sedula (fingit
  Sic tabula Heemskirki ludicra) tondet anus.
Inque vices (idem sic ludit amabile pictor)
  Æqua tondet anum conditione senex.
Cum vetulus sit uterque, et sit barbatus uterque,
  Fas est, alterius poscat ut alter opem.

CONSULE, QUID VALEANT HUMERI.

ROBUSTIS fert mundum humeris, et pondere curvus
  Sudat, et ingenti mole laborat Atlas.
Quos nervos, quam cervicem, quæ brachia, crurum
  Quam validos nexus tam grave poscit onus !
O caute incedas minimus nam si tibi lapsus
  Offendat gressus, omnia corruimus.

OBSUNT AUCTORIBUS ARTES.

INSTRUMENTA necis, quæ nitrum et sulphura miscet,
In flammam ignescit, subruiturque mola.
Cuncta volant, lacerique artus et saxa trabesque,
Et distans subito fulmine terra tremit.
Triste genus lethi ! sed quo, si funere tali
Dignus erat quisquam, dignus et auctor erat.

OPTIMUM EST CONVIVIUM,

IN QUOD CHORAULES NON VENIT.

MAGNA instauravit Macedo convivia victor,
Adjuvit festas et citharista dapes :
Heroum cecinit simul ille ingentia facta
Argivûm, in Persis qui cecidere plagis :
Exarsit juvenis, dederat quas Musicus, iris ;
Nec longum, exclamat, Victor inultus ero.
Et triste O facinus ! Persepolis illa venusta
Urbs fuit, æquavit quam Citharœdus humo.

———MINOREM
Ne lædas, cave.

Corporis exigui, sed magni est nominis auctor,
Quem vexat scriptis non ita parva manus.
Ille diu tacitus, sed non perterritus, iram
Ingenti tectam pectore dissimulat.
Ex improviso cum tandem Duncias exit;
Bilem habet et totus, fel, aloenque, liber;
Dixerit ut monitus quivis, læsisse gigantem
Tutius, exiguum quam tetigisse virum.

NULLI TE FACIAS NIMIS SODALEM.

Palpat heram felis, gremio recubans in anili;
Quam semel atque iterum Lydia palpat hera.
Ludum lis sequitur; nam totos exerit ungues,
Et longo lacerat vulnere felis anum.
Continuo exardens gremio muliercula felem
Nec gravibus multis excutit absque minis,
Quod tamen haud æquum est.—Si vult cum fele jocari,
Felinum debet Lydia ferre jocum.

UT VIVAS, VIGILA.

Cui mors est lucrum, cui mors est janua vitæ,
  Tristia qui curat funera, tristis homo est:
Discurrit totam venaticus ille per urbem,
  Ille quis ægrotat, quis moriturque, rogat.
Curre, puer, sonuitne, roga, campana? fenestra,
  Indicium mortis, quæ sit aperta, vide.
Alter enim, satagas ni sic vigilare, cadaver,
  Qui mihi præripiet, vultur, et alter erit.

TEMPORE NIL FACIAS ALIENO.

Ad modulum capitis se Flavia crispat ovini,
  Et collum ad medios nudat anile sinus.
Ista parum prosunt; nulla celabitur arte
  Quæ vetulum infecit cana senecta caput.
Nec bene conveniet regis adsumere nugas,
  Quas nuribus nostris Gallia vana dedit.
Quod sis, esse velis; et cum revocare juventam,
  Flavia, non poteris, sis patienter anus.

——Τὸ μεταξὺ μεριμνῶ,
Πῶς ἅμα σοι κλαύσω, πῶς ἅμα σοι γελάσω.

IN tabulis binos fratres persæpe videre est,
  Utrumque, ut tradit fama vetusta, senem.
Hic sese in risum, patulo sine dentibus ore,
  Solvit, et humanas res facit esse jocum:
In lacrymas fusus, vultuque heu! tetricus ille
  Rebus in humanis nil nisi triste videt.
Ridenti aut flenti credis? si credis utrique,
  Sunt res humanæ flebile ludibrium.

"——E TURRIBUS ALTIS
"DAT CAMPANA SONUM."

WOLSÆAS arces, arces quibus almus Apollo
  Præsidet, ingenti Clusius ore quatit.
Clusi, utcunque quatis firmissima mœnia, quis non
  Communes tecum vellet habere lares?

WESTMONASTERII Thomas dum deserit arces,
Eque ruinosa turre coactus abit;
Ignotam Pauli migrans novus hospes ad ædem
Ingemit, et gemitu rumpit utrumque latus.
Rumpitur, et rumpatur; erat nam corde papista,
Qui poterat Paulo præposuisse Petrum.

IN OBITUM DECANI ALDRICH.

" HIS SALTEM ACCUMULEM DONIS ET FUNGAR INANI
" MUNERE."

CUM subit illius lætissima frontis imago,
Quam nostri toties explicuere sales;
Cum subit et canum caput, et vigor acer ocelli,
Et digna mistus cum gravitate lepos:
Solvimur in lacrymas; et inania munera versus
Ad tumulum sparsis fert Elegeia comis,
Aldricio, debent cui munera tanta Camœnæ,
Hoc tribuisse, parum, est; non tribuisse, scelus.

PONITUR in busto si quando nobilis Indus,
Exornat tristem merx pretiosa pyram.
Tu tecum, Aldrici, mandas tua scripta cremari;
Non alio fuerant digna perire rogo.

QUÆ suaves Arabum volucres colit unica terras,
Cum jam illi Parcæ fila suprema legunt,
Thure struit nidum, et multo se concremat igne;
Dumque ardent cineres, altera surgit avis.
Funeris est dispar tibi fatum, Aldrice, secundum
Non datur e busto surgere posse tuo.

FALLERE CREDENTEM NON RES OPEROSA.

DUM mentita genus, cultusque induta viriles,
Romanum gessit Papa Joanna pedum;
Fœmineæ fraudi grex se commisit ineptus,
Atque pie verum credidit esse senem.
Pastori nimium tu, Roma, heu credula; namque,
Si nequeat falli, fallere Papa potest.

EPILOGUS CANTHARÆ,

AD TERENTII ADELPHOS.

MISSA peroratum venio paupercula nutrix,
Simplicis et mundæ sedulitatis anus;
Moribus, ornatuque, exceptis excipiendis,
A capite ad calcem Canthara vera—mera.
Quin ades, O bone * Fauste, et me quoque finge puellam,
Pulchram, habilem, instructam mille placere modis,
Lintea num fluitant a vertice longa? capillum
Num mihi compressum multa retorquet acus?
Num maculis varior majoribus atque minutis?
Collane marmoreos nudor ad usque sinus?
Amplo circuitu se sublevat amphitheatrum?
Dicite septeno num stat in orbe rigor?
Ut spe lactamur, vetulæ! nil virgula prodest,
Nil prosunt artes, improbe Fauste, tuæ.
Canthara adhuc, eadem sum Canthara; vitta tegebat
Canos, et canos nunc quoque vitta tegit.

---

* Magicam Fausti virgulam intellige.

Lenta mihi pendet vestis, quæ lenta pependit;
Et pepla ipsa eadem, quæ rubuere, rubent.
Ecce idem ad zonam tinnit mihi cultus anilis;
Idem in turrito vertice nutat apex.
Torpet iners venis etiamnum sanguis; in ore
Nec mihi pullinus dens, neque denticulus.
Inque genas subiit mihi pilus et alter et alter,
Lilia quas memini, quas decorâsse rosas.
Nec tamen incuso Parcas; nec questibus ægris
Ingemo damnosam me minuisse diem.
Restituet lætam mihi gratia vestra juventam:
Plaudite vos faciles—Canthara non anus est.

EPILOGUS ÆTHIOPISSÆ,

AD TERENTII EUNUCHUM.

OPPROBRIUM in sexus, statua taciturnior ipsa;
Et pro persona dramatis umbra fui.
Sic auctor voluit, sic Afræ haud candidus Afer;
Quam non humanum! quam populare parum!

EPILOGUS CANTHARÆ,

AD TERENTII ADELPHOS.

Missa peroratum venio paupercula nutrix,
Simplicis et mundæ sedulitatis anus;
Moribus, ornatuque, exceptis excipiendis,
A capite ad calcem Canthara vera—mera.
Quin ades, O bone * Fauste, et me quoque finge puellam,
Pulchram, habilem, instructam mille placere modis,
Lintea num fluitant a vertice longa? capillum
Num mihi compressum multa retorquet acus?
Num maculis varior majoribus atque minutis?
Collane marmoreos nudor ad usque sinus?
Amplo circuitu se sublevat amphitheatrum?
Dicite septeno num stat in orbe rigor?
Ut spe lactamur vetulæ! nil virgula prodest,
Nil prosunt artes, improbe Fauste, tuæ.
Canthara adhuc, eadem sum Canthara; vitta tegebat
Canos, et canos nunc quoque vitta tegit.

---

* Magicam Fausti virgulam intellige.

Lenta mihi pendet vestis, quæ lenta pependit;
  Et pepla ipsa eadem, quæ rubuere, rubent.
Ecce idem ad zonam tinnit mihi cultus anilis;
  Idem in turrito vertice nutat apex.
Torpet iners venis etiamnum sanguis; in ore
  Nec mihi pullinus dens, neque denticulus.
Inque genas subiit mihi pilus et alter et alter,
  Lilia quas memini, quas decorâsse rosas.
Nec tamen incuso Parcas; nec questibus ægris
  Ingemo damnosam me minuisse diem.
Restituet lætam mihi gratia vestra juventam:
  Plaudite vos faciles—Canthara non anus est.

EPILOGUS ÆTHIOPISSÆ,

AD TERENTII EUNUCHUM.

Opprobrium in sexus, statua taciturnior ipsa;
  Et pro persona dramatis umbra fui.
Sic auctor voluit, sic Afræ haud candidus Afer;
  Quam non humanum! quam populare parum!

Natumve aut patrem juste perpendite, non est
  Natus amabilior, candidiorve pater.
Tam bene morata est, nitido tam plena lepore
  Andria, quam vobis nox hodierna parat.
Nos faciles erigite O! risu, plausuque secundo,
  Ludere qui pariter discimus et sapere.

EPILOGUS

LESBIÆ OBSTETRICIS.

AUDISTIS quanto clamore puerpera, Juno
  Lucina, oh! miseræ, fer mihi, dixit, opem.
Illa ego sum Juno—sed non de plebe ministra,
  Quales Lucinas viculus omnis habet.
Nil loquor impurum, vel subnuo turpius; ista
  Vulgares animos, degeneresque juvent.
Oscula si quando permittam, admitto pudice;
  Ut decet humanas ingenuasque nurus.
Si quid forte bibam, cyathus mihi sufficit unus,
  Pollice vix major.—Fors aliquando duo.

Incolumi matre et salva, mea proxima cura est
Infantem primis vestibus induere.
Adsidet ad cubitum, Glycerique Archillis ocellos
Intuitu primo callida cernit anus:
Parvaque componens magnis, frontem, oscula, nasum,
Quid patris explorat, quid referatur avi.
Tergaque demulcens, hominum est sævissimus, inquit,
Tam pulchram poterit qui violare cutim:
Deliræ hæc inter nutricis somnia, majus
Urget opus longe me, graviorque labor;
Cingere fasciolis teneros, nec duriter, artus,
Et justum ad modulum fingere molle caput.
Cautio nec levis est, multis de millibus una
Ne minimo infantem vulnere pungat acus.
Sed nec adhuc cessat mihi cura; puerpera mater
Sæpe revisenda est, et mihi sæpe puer.
Interea mihi mensis abit, sed et uno alioque
Donatus flavo munere mensis abit.
His ego me officiis, vobis, populo alme virorum,
Commendo, obsequio, sedulitate, fide.
Quandocunque opus est, me servam accersite vestram;
Lesbia curabo protinus esse domi.

EPILOGUS CRITONIS

AD TERENTII ANDRIAM.

Ecquis ibi est?—audite aliquis—puer, endromidem da;
  Adde manum, (quid stas lentus?) utramque manum;
Da mihi jam terrorem, et jam duo fulmina belli,
  Et jam balteolum—cætera portet equus.
Si mea sunt—O sunt—mihi salva viatica, rite
  Instruor, his armis tutus, et his animis,
Hisce ego latrones abigo, corvosque, canesque;
  His pluviæ subigo vim, Boreæque minas.
Seu per planitiem contendo, ubi rarior agris
  Stat rubus, aut inopi stramine tecta casa;
Sive eo per salebras et per prærupta locorum,
  Et per crescentis tædia longa viæ;
Si non obliquus sedeam, si a posteriori
  Integer et salvus, cætera salvus eo.
Improba latrantis stomachi cum murmurat ira,
  (Usque-adeo res est imperiosa fames)
Divertor—mihi cœnam, et equo sua pabula posco;
  Neu mala defraudet, viso, reviso, manus.

Seligere est lectum mihi proxima cura, laborque
  Detrahere est ocreas proximus—et labor est,
Accumbo cœnæ—et mecum hospes, seu rogo, seu non:
  Et bibit, et comedit, plus tamen ille bibit.
Cras venit, et schedula—Imprimis mihi panis—Itemque
  Pullus—Item vinum—nil nisi cum pretio.
Solvo, enchiridion repleo, discedo, salute
  Accepta et dicta—vive valeque—vale.

PUER.

Te tuus expectat sonipes, nescitque morari
  Impatiens—

CRITO.

In me non erit ulla mora.
Vos quibus hospitibus placidis et suavibus utor,
  Este salutati, docta corona, mihi.
Este, O spectantes, animis, quod et estis, amicis,
  Et pede inoffenso, dicite, perge domum:
Accipio felix omen, plausuque secundo,
  Quo cursum institui, pergo viator iter.
Vivite felices; ego quandocunque redibo,
  Devoto vobis corde, redibo Crito.

EPILOGUS AD EUNUCHUM.

EN! adsum miles veteranus—inutilis armis,
  Sed regi et patriæ fidus, ut usque, meæ:
Quem magis aurati rutilo fulgore galeri
  Commendat validum cor, lepidumque caput:
Quem Mars truncavit—sed cui Chelseia rependit
  Et mutilos artus et mihi quicquid abest.
Pars ego parva mei:—sed sum πλέον ἥμισυ παντός;
  Sanctior est salva parva tabella rate.
Lumine suffosso luscus; sed et Hannibal ipse,
  Quem Roma horrebat, sic oculatus erat.
Uno crure minor, sed crure superstite in altum,
  Altius ut nemo, subsiluisse valens.
Nec fractis vel adhuc animis; sed strenuus illa,
  Quæ superest, audax intrepidusque manu.
Quid vero his majus dabit iste domesticus heros?
  Quid simile his miles scenicus iste Thraso?
Illius in plumis tunicaque est unica virtus;
  Omnis in illæso corpore constat honor.
Pulchrior in pannis me gloria vestit; et hoc crus,
  Hæc manus, hic oculus, duplicis instar erit.
Quo me excepistis, vos O! dimittite plausu;
  Et mihi felicem plausero militiam.

DE MUSTO.

ALMA Ceres, tua dona cano, tua dona canenti
Arride felix, teneram nec desere musam.
  Cæcuba miretur Flaccus, dulcemve Falerni
Humorem laudans, veteres invitet amicos;
Et Bacchi madidus genialia pocula dicat:
Sunt nobis calices, nobis sunt, diva, poetæ.
Tu vero (quæcunque tuum fert nomina mustum,
Seu quod equis aptum Eboracum, vel Cestria mittit,
Nobilis aut Rhedycina tuis quod præbet alumnis)
Tu mitis, tu blanda tuis cultoribus Anglis.
Te, Dea, quisque colit, duplicis tu muneris auctor
Diceris, et duplicem populus tibi solvit honorem.
In mediis qua surgit agris bene nota taberna,
Rusticus esuriens loculo depromit olenti
Hesternas cum cultro epulas, et pocula poscit;
Quæ simul ebiberit, rursus replenda ministro
Porrigit: hic operæ non vanæ, alacrisque laboris
Præteriti fructus sumit, divamque precatur,
Deficiat placidi ut nunquam bona copia musti.
Hic senior tubulum, locus est qua proximus igni,
Ore gerens, nec ventum hiemis nec frigora sentit:

Sed sedet, et semper memorans quam plurima gesta
Se puero, de peste aut de civilibus armis,
Usque bibit, Cereri longam debetque senectam.
Huc secum antiquam, quoties redit Hesperus, urnam
Fert anus, hinc potat morbosæ oblita senectæ,
Hinc alacris posita cura meditatur amores
Lascivos, et sese iterum putat esse puellam.
Hic madidi juvenes hybernæ tempore noctis
Dant incompositos motus et carmina dicunt,
Aut lepide in muro pingunt carbone figuras:
Atque rogant Cererem, ut lætam concedere messem
Dignetur, Cereris jam jam turba ebria dono.
Sæpius huc, quoties campos et rura revisit,
Formosa cum nata et pingui conjuge tendit
Civis, et umbrosæ salicis sub tegmine lento
Ampullam poscit; cui dum ferrum admovet ille
Flexile, quod secum tales fert semper in usus,
Evolat extemplo furiosum, et, qua data porta,
Spumosum erumpit vitreo de carcere mustum:
Haud venti, Laërtiadæ quos Æolus utre
Inclusos dederat, strepitu majore ruebant.
Callidus interea civis, ne provolet omne,
Imposito cohibet digito; fumosa liquoris
Vis tamen ascendit, seque ejaculatur in auras.
Tum facili dextra et caute quam leniter arte
Admoto infundit calici; subsidere cœpit
Paulatim spuma, et proprium dat vappa colorem.

INEST SUA GRATIA PARVIS.

BELLATOR furit exiguis Pygmæus in armis,
Et tenui infestas cuspide figit aves.
Securum tamen hunc præstat contracta figura,
Seu sors adversa est, sive secunda favet.
It fama ad cœlum, si victor ab hoste recedat;
Si non, ad cœlum fertur in ore gruis.

SIS QUOD VIS, DUMMODO SIS ALIQUID.

AGRICOLAM errantem fatuus qui decipit ignis,
Incertum lumen dat, subitoque fugit;
Nescio quid liceat te dicere, flamma jocosa,
Cum toties aliquid sis, totiesque nihil.

MAGNAS TERRITAT URBES RUMOR.

RUMOR Alexandrum cum detulit esse propinquam'
Finitimos implet terror ubique locos.
Exorant alii pacemque et fœdera ; sponte
Summittunt alii subdita colla jugo.
Quam bene, Pellæe, exsuperas ! nam cum tibi laurus
Dant famam, lauros dat tibi fama novas.

POTERIS TUTIOR ESSE DOMI.

DUM mater metuit virgæ ne verbera lædant,
Ipsa domi puerum servat, et ipsa docet.
Ipsa doce puerum, mater tam blandula, possit
Tutus ut esse domi, stultus et esse foris.

"—— Grande doloris
" Ingenium."——

Carcere clausa nigro dum flet Philomela, nefandum
Ingenio prodit, quod nequit ore, scelus.
Tereos incesti depingit callida crimen
Veste super, docta quam variavit acu.
Quid non posse putas fieri, dictante dolore?
Aut ubi non lingua est, si neque dextra tacet?

RESPUE QUOD NON ES.

Convivas inter superos, Vulcane, ministrans
Nectareos haustus cur male fundis humi?
Te decet Ætneis potius sudare caminis,
Inter Cyclopas dum grave fervet opus.
Sint manibus fabricata tuis data tela Tonanti;
Sint Ganymedea pocula mixta manu.

N

DULCE ET DECORUM EST PRO PATRIA MORI.

Ut vidit laceros sibi constans Regulus artus,
  Et membra indignis dilacerata modis;
Membra mihi, Carthago, inquit, lacerando triumpha,
  Hic mihi, quod laceres membra, triumphus erit.
A te quod cecidi multum lætere; sed ipse
  Plus lætor patriæ me cecidisse meæ.

SUAVE EST EX MAGNO TOLLERE ACERVO.

Prætoris quoties redeunt convivia, longo
  Ordine per mensas fercula plura nitent.
Cur his accumbit civis tam lætus? an illi
  Aut fartum, aut desunt terga bovina domi?
At fruitur, simul oblectans oculosque gulamque,
  Quos et edit, quos et non edit, ille cibis.

"—Eutrapelus cuicunque nocere volebat
"Vestimenta dabat pretiosa."—

Thestylis invehitur plaustro rudis hospes ad urbem,
Veste decens, simplex moribus, ore rubens.
Hanc anus excipiens meretrix, bona mater, agrestem
Mutare ornatum splendidiore parat.
O fugias, longe fugias fallacia dona,
Quæ simul indueris, Thestyli, tota peris.

DANT ANIMOS SOCII.

Vidit ut instantem Polyphemum solus Ulysses,
Quæ modo tam validæ contremuere manus.
Qui totidem, qui tanta heros Diomede peregit
Cum socio, solus cum fuit, Οὖτις erat.

VOS NON VOBIS.

DURA laborantes invertunt arva juvenci,
  Ut domino segetem libera fundat humus.
Nec minus agrestis lassat sua membra labore,
  Dum versat fœnum, pabula grata bovi.
Sudat uterque quidem, sed non sibi sudat uterque:
  Nam domino sudat bos, dominusque bovi.

PARES CUM PARIBUS FACILLIME CONGREGANTUR.

CUM forte ad lapidem (tanta est discordia fratrum)
  Impegit rigidus fossor agreste caput;
Negligit ille ictum tutus munimine frontis,
  Et cerebri armatus robore tutus abit.
Vi parili occurrunt, neutri victoria cedit;
  Nulla lapis patitur vulnera, nulla caput.

DICITE DEFECTUS SOLIS.

OPPONIS medio, Phœbe, tua cornua Soli;
Et jam deficiens cornua Phœbus habet.
In Tauro ascendit, Taurus quoque cornua gestat;
Jupiter apparet, corniger ille deus.
O cives, cives, frontem defendite: signa
Omnia ni fallant, cornifer annus erit.

POST annos, Whistone, novem eclipsin fore dicis;
Idem annos mundum vix superesse duos.
Hæccine conveniunt? utrum vis, elige, dici
Vel mendax vates, vel malus astrologus.

PLUS ULTRA.

PENELOPE maneas absenti casta marito;
Turba ruant frustra luxuriosa proci.
Ut pergant orare illi, tu perge negare;
Texe, et nocturno tela retexe dolo.
Sic ultra semper tendas; nam semper ut ultra
Tu tendas, nunquam perficietur opus.

ALIORUM OBSEQUERE STUDIIS.

INDUTUS varia tunica, pictoque galero,
In medio celsus ludis, Agyrta, foro.
Per populum lepide ridens dicteria spargis,
Atque jocis captum pharmaca vulgus emit.
Quod dulce est populo tibi dum facis utile, plebis
Obsequeris studiis ob equerisque tuis.

AMICA SILENTIA.

UT sedet in triviis, linguæ qui perdidit usum,
Ore stipem mæsto colligit æris inops.
Indiciis populum mutis affatur, et orat
Immemor ut nolit præteriisse sui.
Non potuisse loqui jam creditur utile muto;
Tam bene neq poterat lingua vel ipsa loqui.

VOTUM.

QUALIS per nemorum nigra silentia,
Vallesque irriguas, et virides domos,
Serpit fons placidus murmure languido,
    Secretum peragens iter;

Paulisper vagus atque exiguos agens
Mæandros, variis se sinuat modis,
Dum tandem celerem præcipitans fugam,
    Miscetur gremio maris;

Talis per tacitam devia semitam
Ætas diffugiat, non opibus gravis,
Non experta fori jurgia rauca, nec
    Palmæ sanguineum decus:

Cumque instant tenebræ, et lux brevis occidit,
Et ludo satura, et fessa laboribus,
Mors longusque sopor membra jacentia
    Componant placida manu.

ON AN OPEN GRAVE.

LABORIOUS passenger, look down,
  And see thy journey's end;
See whither all thy weary steps,
  'Tis hither, lo! they tend.

Observe the distance, mark how small!
  But six feet deep or less!
A measure scarce beyond thy own,
  That leads from pain to ease.

Nor here alone, but wheresoe'er
  Thy weary footsteps sound,
Thy length and breadth will shew the spot,
  Where rest is to be found.

Then patient the fatigues of life
  With this reflection bear;
That journey can't be over-long,
  Whose end is ev'ry where.

IN EFFOSSUM SEPULCHRUM.

VIATOR, en ! defesse, et infra despice
  Vitæ viæque terminum !
Vide, laboriosa quo vestigia,
  Huc, ecce ! tendunt omnia !

Distantiam observa ! vide quam sit prope,
  Profunditas vix sex pedum ;
Mensura vix ultra tuam, a laboribus
  Brevis ad quietem est transitus.

Nec indicat solum hoc sepulchrum, sed graves
  Quacunque tibi sonant pedes,
Mensura corporis tui locum dabit,
  Speranda quo siet quies.

Patienter ergo, vita quæ fert tædia,
  Hoc, perfer, hoc recolligens,
Vix esse, vix perlongum iter, cui terminus
  Nec his nec uspiam deest.

IN OBITUM MAGISTRI HANBURY.

CARMINE dum mœsto patrem lugemus ademptum,
Et sua Pierides ultima sacra ferunt;
Tu quoque nobiscum, lector, pia dona, silentes
Da lacrymas; lacrymæ pondera vocis habent.
Sic idem languor morbi, longique dolores
Desint, sic idem non tibi desit honor.

IN OBITUM MAGISTRI COTES.

IN lecto extremas ducis dum languidus horas,
Consumptus morbo, vix animæque tenax;
Respicis, immotus propioris imagine mortis,
Hinc lapsam ætatem præteritosque dies:
Prospicis hinc, lætus venientia prospicis æva,
Atque animum oblectat postera fama tuum.

Securus cœli, pie vir, sæcla ante peracta,
Securus laudum sæcla futura vides.
Ampliat ætatem sibi vir bonus; ampliat et qui
Præclarum studio conficit auctor opus.
Hoc est vivere bis, vita potuisse priore;
Vivere bis vita posteriore frui.

IN STATUAM SEPULCHRALEM INFANTIS DORMIENTIS.

INFANS venuste, qui sacros dulces agens
In hoc sopores marmore,
Placidissima quiete compôstus jaces,
Et inscius culpæ et metus,
Somno fruaris, docta quam dedit manus
Sculptoris; et somno simul,
Quem nescit artifex vel ars effingere,
Fruaris innocentiæ.

MEMORIÆ SACRUM

BENJAMINI FERRERS,

PICTORIS SURDI ET MUTI:

QUI OBIIT ANNO 1732.

Et tu! tune avidæ rapina mortis!
Et tu præda voracis es sepulchri!
Nec virtus tua te redemit orco,
Nec vitæ tenor innocenter actæ!
At si quid pia prorogare musa
Contracti spatio valebit ævi,
Te justum memorabit integrumque
Morum; te tenebris silentioque
In lucem eripiet, dabitque famæ,
Annis quod deerat, superfuturæ.
Nascenti quod et obseravit aures,
Et linguæ docilis negavit usum;
Hoc rerum tibi consulebat Auctor:
Ne purum mala pectus inquinaret
Ubertas vitii, et libido culpæ;
Corruptam scelere, et fide carentem
Ne fraus argueret dolusque mentem:
Ut prava sine labe, sæculique

Præsens nequitiæ, nec interesses.
Humanas neque res et actiones
Spectabas minus, ut vel hoc, vel illud,
Vel quidquam fugeret tuum sagacem
Captum ; quin calamis, et hoc et illud,
Expressum in tabulas statim referres.
Quanquam nulla tibi necessitudo
Cum libris fuit ; id rependit omne,
(Quod vitæ proprius tuæ magisque
Allusit) studium silentis artis.
Maturi mihi vis amica fati
Cum lucem fere clauserit supremam,
Tam sancte, placide, pie peractam
Ætatem oh ! recolam, recolligamque
Turpi crimine tam procul remotam ;
Non est, quod superos prius roâgrim.

IN SEPTEM ANNORUM PUELLULAM.

QUAM suavis mea Chloris, et venusta,
Vitæ quam fuerit brevis, monebunt
Hic circum violæ rosæque fusæ;
Quarum purpura, vix aperta, clausa est.

Sed nec dura nimis vocare fata,
Nec fas est nimium queri caducæ
De formæ brevitate, quam rependit
Æterni diuturnitas odoris.

INDEX.

FINIS.

Typis Slatter et Munday, Oxonii.